



2036













No. 2036.









DE REGIBVS DANIÆ

OHANNIS GEOR-
gij Sadolini Vibergij Epi-

grammaton liber vnus, qui Regum Danicorum Chorus in- scribitur.



AD CALCEM LIBRI ADDITA SVNT INSIGNIA REGVM DA- *niæ, eodem autore, illu- strata.*



HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius Benedictus.
Anno 1 5 6 9.

Cum gratia & Priuilegio Re- giæ Maiestatis.





Effigiem lætam Friderici cerne Secundi,
Qui manibus puris Danica ſceptra gerit.

1567.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI DOmino Friderico: eius nominis Secundo: Daniæ, Noruegiæ, Gotorum, Vandalorumq; Regi: Duci Slesuici, Holsatiæ, Stormariæ, & Ditmariæ: Comiti Oldenburgij & Delmenhorstij: Domino suo Clementißimo:

IOHAN. GEORGIVS SADOLINVS VIBERGIVS. S. D.

SAPIENTISSIMI olim principes historicam lectionem magno amore prosequebantur, & eos qui res, à maioribus gestas, rectè descripserunt, honorabant & admirabantur: Nec etiam nunc desistunt viri illustres, quos ad Imperijm fastigium eminentior Fortuna euexit, veterum Virtutem, vt in alijs, ita & hac in parte, prudenter æmulari. Testantur hoc egregia doctorum hominum monumenta: & exempla quoq; præclara nostri temporis, id ipsum non obscurè significant: sicut & norunt ij qui in scriptis ingeniosorum versantur, ac diuersorum Regum & Imperatorum, principumq; mores intuentur. Et meritò quidem in delicijs habentur Historiæ, & ab omnibus bonis commendantur. Etenim ipsæ sapienter contextæ, Virtutum pulcerrima para-

digmata proferunt: legesq́ vetustas, ac antiquitatem omnem, complectuntur: & saluberrimas doctrinas de veris, per Iusticiæ metas euntium, præmijs, et de pœnis delirantium commonefactiones, patefaciunt: quidq́ pacis pariter & belli tempore sequendum sit, declarant: ac quanta Dei erga Ecclesiam cura enitescat, confitentur. Debent igitur Iuniores ea, quæ in officiorum commemorationem ab eruditis recitantur, diligenter considerare, vt artem regendi Rempub: feliciter assequantur, scientiamq́ rerum bellicarum dextrè adipiscantur. Hoc siquidem pacto fiet, vt regularum cognitione instructi, exemplorum meditatione confirmati, factorum applicatione excitati, præcellentes euadant ad gloriam Dei, & hominum vtilitatem. Cæterùm, non quoslibet historicos amandos arbitramur, sed eos duntaxat, qui memoriam rerum veterum & nouarum, rectè & dilucidè, citra mendacia & imposturas, renouare attentârunt: quorum ordinem, iuxta seriem temporum, qui volet cognoscere, Tabellam Scholasticis Academiæ Vitebergensis à D. CASPARO PEVCERO dedicatã, ante oculos sibi proponat: nec libellũ à D. DAVIDE CHYTRÆO de lectione historiarum rectè instituenda, compositum, prætermittat. Quia verò non tantùm res exterarum gentium tenere, verùm etiam patriam Historiam intelligere, valdè prodest ad iudicium animi eruditè formandum, adolescentulos nostros Danos,

Danicæ nationis homo exhortor, vt ea, quæ descripsit SAXO ET DANVS & DANORVM NOBILIS HISTORICVS, *diligenter legant, & ex ingeniosis fabularũ inuolucris ueritatẽ eliciant, ut tanquàm obiecta Ægide, prudenter ea retorqueant, quæ à nebulonibus obtrectatoribusq; scommata, & mendacia, in Reges & gentem nostram, quasi amentata tela depromuntur. Cùm enim aßuefecerint se iuniores ad verarũ Historiarum lectionem, subtiliusq; ac preßiùs ea reputarint, quæ in Danici nominis ignominiam à veteratoribus refractarijs, subdolè & maliciosè, confinguntur, haud ita difficulter quasuis fraudes deprehendent, quæ contra nos, nostrosq; maiores, coaceruantur. Ad lectionem autem Saxonis, & ad Regum nostrorum seriem legitimam inde ab initio Regni, vsq; ad tua, illustrißime Rex,* FRIDERICE II. *tempora, percipiendam, aliquantulum lucis afferent hæc nostra de* REGIBVS DANICIS *Epigrammata, quæ eadem tanquàm argumenta in rerum Danicarum* LIBROS VIII. *à nobis compositos, referentur. Nec moror eos, qui insertis Magis quibusdam, & bellorum ductoribus, aut demtis etiam Regib⁹ aliquot, qui à nobis signantur, diuersum catalogum exhibere conabuntur. Illis nanq; suæ poßunt eße rationes, ad quas respondere non admodum sumus solliciti, cùm nobis vetustatis Danicæ notißima monumenta ritè suffragentur. Iudicio nempè bonorum Vi-*

 rorum

rorũ, & me ipſum, & hæc mea ſcripta, quemadmodum et alia quæ à me edita ſunt, aut deinceps iuxta ingenioli huius modulũ proferentur, libenter ſubmitto: alios verò amanter oro, vt ſapientum cenſuræ acquieſcant, nec temerè labores noſtros conuellant, ſicut nuper, à neſcio quo, factum eſſe comperio, qui cùm reliqua in nobis carpere non poſſet, hoc nomine nos obliquè notabat, quod veterem Orthographiam ab ANGELO POLITIANO & IOACHIMO CAMERARIO, alijsq́ doctiſſimis viris obſeruatam, ſtudioſiùs imitaremur. Sed quis tales ineptulos reſponſione dignos iudicabit? Nobis profectò ſatis eſt, quòd ingenium noſtrum à bonis viris æſtimetur, & ea quæ à nobis fiunt, ab eruditis commendentur: nam uana certamina aduerſus eos, qui, niſi quod ipſi faciunt, nihil rectè factum exiſtimant, non ſuſcipiam: niſi fortè, res eò dementiæ deueniret, vt Barbara turba Muſas elegantiores fœdis ſordibus offuſcare conaretur. Tùm ſiquidem cuilibet bono elaborandũ eſſet, vt artium puritas, & diſciplinarum integritas, ab iniuria vindicaretur. Enimuerò, niſi literæ emendatæ cuſtodiantur, & intemeratæ retineantur, fieri non poteſt vt Regum nomina, & procerũ egregiæ Virtutes iuſta laude exornentur, adoleſcentesq́ ſatis idonei, ad officia Eccleſiæ et Reipub: fideliter præſtãda, efficiantur. Quocircà et Regũ curam eſſe ſapientes norunt, et doctos defendere ac ornare, et eos compeſcere qui in hominũ erudi

toru͂ caſum, atq; in literarum bonarum ruina͂, videntur conſpirare. Cùm autem tua, FRIDERICE Rex, inclyta Maieſtas imaginibus ſuis optima ratione reſpondeat, & laudes maiorum ſuorum generoſa æmulatione ita imitetur, vt vetuſtiſsimorum Regum honori non modò ſit comparanda, ſed quodammodo etiam præponenda, ſi eo vitæ curſu diligenter perexeris, in quem feliciter ingreſsus, miram ingenij dexteritatem, et pectoris conſtantiam, tùm & voluntatis promtitudinem, erga omnes hominu͂ in regno tuo ordines, prudenter declaras: no͂ abs re euenit, quòd hunc noſtrum de REGIBVS libellum, ſacratiſsimo tuæ celſitudinis nomini conſecremus. Etenim dignitate͂ Senatoriam ſapientiſsimè conſtituiſti, cui gubernatorem aulæ tuæ Regiæ fidelißimum, DN. PETRVM OXE, Herum Giſlefeldiæ, præpoſuiſti: Virum ſanè vt dignitate honorum excellentem, ita & rerum tractandarum prudentia exercitatiſsimu͂. Huic adiungitur DN. IOHANNES FRIIS, Herus Helſlagriæ, Regiæ tuæ Maieſtatis Cancellarius, cuius & ſapientiam & fidelitatem pater tuus honoranda memoria celebrandus, DIVVS CHRISTIANVS III. (de quo extant ſcripta diſertiſsima D. Philippi Melanthonis: D. Nicolai Hemmingij: D. Eraſmi Læti: D. Iohannis Franciſci Ripen. & aliorum doctiſsimorum hominum) laudare conſueuerat. Quibus ſuccedunt alij generoſi vi-

ri, DN. FRANCISCVS BROCHENHVS, Herus Bramſtorpiæ, regni Daniæ Mareſcallus: DN. PETRVS SCHRAM Eq: Auratus, Herus Vropiæ: DN. BIRGERVS TROLLE Eq: Auratus, Herus Lilij: DN. OLAVS MVNCK, Herus Tuiziæ: DN. GEORGIVS LYCHE Eq: Auratus, Herus Ouergordiæ: DN. OLGERVS ROSENKRANTZ, Herus de Bollir: DN. PETRVS BILDE, Herus Suanholmiæ: DN. ERICVS ROSENKRANTZ, Herus Valeſiæ: DN. OTTO BRAE, Herus Cnudeſtorpiæ: DN. GEORGIVS ROSENKRANTZ, Herus Roſenholmij: DN. ERICVS RVDT, Herus Fulſangiæ: DN. BIORNO KAAS, Herus Starupogordiæ: DN. BIORNO ANDREAS, Herus de Stenholt. Quem præclarum illuſtrium virorum numerum, nobilitate natalium, & ſapientia animi, tùm, & morum dulcedine eximius vir, DN. ABSOLON VRNO, Herus Soëgordiæ, Regni Daniæ Cancellarius, tanquàm nobiliſsimum aciei bellicæ cornu decenter exornat. Quorum omnium egregia decreta cuſtodiunt, expediuntq́; per ſuam induſtriam nobiles, eruditi, & boni Viri DN. IOHANNES SCHOFGORD, Herus Scofgordiæ: & DN. NICOLAVS KAAS, Herus Torupiæ: Quibus Regia ſecreta dig-

niſsimè

nißimè ſunt demandata. Horum enim prudentiam
in dandis conſilijs, & in adminiſtranda Iuſticia, vt alij
omnes laudant, ita maximè prædicatur ab ERICO
RVDT Domino Fulſangiæ, qui honeſtam eorum ſæ-
pè apud me mentionem facere conſueuit. Eorundem eti-
am Virtus mihi ipſi plurimis experimentis eſt explo-
rata. In qua ornatiſſima nobilium, ſapientumq́; Viro-
rum corona, cauſſas diſcuſſurus ipſe, inclyte Rex FRI-
DERICE, fide & iuſticia præcellens, & Regio
coruſcus honore, eniteſcis, exemplum æquitatis præbēt
alijs Reipub: Danicæ gubernatoribus, qui ciuitatibus
oppidis, inſulis, prouincijs & municipijs, te Rege præ-
ficiuntur. Quin & militares ordines, vt antè illu-
ſtriſſimis & ſapientiſſimis HOLSATIÆ DV-
CIBVS IOHANNI & ADOLPHO,
Patruis tuis cariſſimis, conſociatus, cùm valida manu
Ditmarios in primæ aciei fronte eniteſcens, ſubigeres,
inſtructos reddidiſti: ſic etiam nunc pergis iſtud armo-
rum decus bellicis artibus illuſtrare: quo conatu ſe ſtre-
nuum præbet nomine Regiæ tuæ Maieſtatis, Vir mag-
nificus DN. DANIEL RANTZOVIVS,
& alij viri nobiles & fortes Dani, Germani, Scoti &
Angli, de quibus in Hiſtorijs noſtris copioſiùs, Deo
fauente, diſſeremus. Nec Equeſtres, pedeſtresq́; tan-
tummodo copias inſtruxiſti, ſed maris etiam tutelam
felicibus auſpicijs ſuſcipiens, nauales pugnas fortiſſimè
confeci-

confecisti: cuius rei testimonio esse possunt Nauarchæ clarissimi (Admeraldos Dani appellant) abs te in hostes armati, DN. HERLVFFVS TROLLE Eq: Auratus, Herus Herlufzholmij & DN. OTTO RVDT, Herus Moëglecardiæ, in quorum locum subijt DN. ERICVS RVDT, Herus Fulsangiæ, Vir vt infracto animo constans, ita & corporis decenti mole admirandus, quem fortissimum Equitum tuorū, Illustrissime Rex, aquiliferam in Ditmarijs habuisti: qui etiam sæpè mecum familiariter de virtutibus tuæ Maiestatis colloqui dignatur: id quod & facit Nobilis vir, DN. ALBERTVS OXE, Herus Nigelstorpiæ, præses nostræ Lolandiæ, & reuerendus Vir, D. M. NICOLAVS CASPARVS VIBERGIVS, Diœcesis Fionicæ Episcopus vigilantissimus, & alij generosi & eruditi viri, qui mecum conuersantur. Quid, quòd & honoris caussa, ipse Imperator MAXIMILIANVS II. Regesq; alij multi, & Reginæ, Oratores & Legatos suos, ad te mittunt? sicut & nunc Gallorum nomine DN. CAROLVM DANZÆVM apud tuam Maiestatem commorari, mihi Gallici milites annunciant. Adeò tuum nomen apud omnes honoratur. Meretur certè hoc Regia tua Virtus, qua terra, pariter & mari, ita excellis, vt fortitudine, seueritate, grauitate, magnanimitate, beneficentia, liberali-

liberalitate & mansuetudine, nullo Regum inferior habearis. Argumento sunt non modo arces, & munitiones ad Barbarorum repreßiones per sapientiam tuam ædificatæ, sicut & FRIDERICHSBVRGVM tuum nunc Regali cultu extructum, sese nomine & ingenio Regiæ tuæ Maiestatis attollit: sed, quod palmarium est, Academiæ, Scholæ, Ecclesiæ, quæ amplißimis stipendijs exornatæ, mitißimum te Regem, & gratiosißimum altorem profitentur. Itaq; Theologi, Iurisperiti, Medici, Poëtæ, Rethores & Philosophi, tùm etiam linguarum profeßores, magnis præmijs abs te inuitati, Iuuentutem in Regno tuo rectè instituunt: & adolescentes quoq; notabili numero, per munificentiam tuam suscepti, in studijs artium, & disciplinarum, sustentantur. Nec pauperes, egeni, viduæ & pupilli negliguntur, sed paßim tua industria adiuuantur. Iure igitur & armatorum symbola, leones & dracones, & togatorum insignia, agni & olores, maioribus tuis, vetustatis Danorum Regibus, olim attributa, nunc etiam Regiæ tuæ Maiestatis potentiæ aßignantur: quod publicum testimonium tantò dulcius erit posteritati, quantò Virtute in dies illustrior insurrexeris. Oro æternum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, vt SANCTO SPIRITV suo Regiam tuam Maiestatem, fratresq; tuos germanos, Duces optimos, MAGNVM

& IOHANNEM, tùm & sorores ANNAM illustrißimi Principis Electoris Sax: DN. AVGVSTI coniugem castißimam, & DOROTHEAM, vniuersamq́; Regiam vestram prosapiam vnà cum matre carißima DOMINA DOROTHEA, clementer regat: Ecclesiasq́; & Respub: in Dania, & in toto Christianorum orbe, aduersus scelera hominum, & contra furores Diabolorum, tueatur. Benè et feliciter vale, Serenißime Rex: meq́; tuæ Maiestatis Clientulum habe commendatum, qui mira benouolentia reliquos tuæ clementiæ ministros prosequi nō dedignaris. Ex Torouilla, quæ est in Regia Danorum Insula Lolandia: quam terrā veteres Reges, et tui quoq; maiores, Illustrißime Rex FRIDERICE, dignißimis Priuilegijs condecorârunt, sicuti Diplomata in membranis descripta, sigillisq́; Regijs communita, nec nō sericis ac aureis filis honorificè exornata, quæ apud nos conseruātur, euidenter demonstrabunt. Calendis Iulijs: hoc est, die tuo Natali, qui ut felix tuæ Regiæ Maiestati quotannis producatur, efficiat Rex immortalis, inuisibilis, verax, misericors, sapiens, & liberrimus Deus, cui honor & Victoria in secula sempiterna. ANNO DOMINI. M.D.LXIX.

DE REGIBVS DANIÆ

IOHANNIS GEORGII SADOLINI VIBERGII EPIgrammaton liber vnus qui Regum Danicorum chorus inscribitur.

AD D. FRIDERICVM SECVNdum: Regem Danicum Noruegicum Goticum Vandalicum: Multarúmque circà gentium principem potentißimum:

Epigramma I.


EXiguo libro describam nomina Regum,
Quos nitidos fama Dania culta vehit:
Gestaq; nostratum breuiter potiora notabo,
Laudibus vt vigeat gens animosa suis.
Accipe ferq; leues, Friderice Secunde, camoenas:
Paruaq; non summi munera Vatis ama.
Regia, crede mihi, res est ornare Poëtas:
Et Reges, Vatum laus, celebrare probos.

DAN REGNI DANICI CONDItor à quo Dania nuncupata.

Epigr. II.

Dan vetus, Iāpeti senioris germine natus,
Primus in hac serie Danica sceptra tulit:

Qui ſibi Teutonico generoſam ſanguine Gritam
Legitimi caſto iunxit amore tori.
Tunc nouies centum, bis mille, decemq́ per annos,
Teſtibus hiſtoriјs, fulſerat orbis honos.
Vt nitida rigidæ lætentur origine gentes,
Primæui titulum Dania Regis habet.

HVMBLVS DANOS FILIVS
Epigr. III.

Emicuit præſtans Humblus virtute paterna:
Mater námq́ potens nobilitate fuit.
Excidit imperio fraterna fraude petitus,
Inſtabilem Diua circumagente rotam.
Ocia priuatæ non ſpreuit dulcia vitæ:
Erubuit viles ſed nec adire caſas.
Illius exemplo Fortunam diſcito ferre,
Seu ſit amans Mater, ſiue nouerca premens.

LOTHERVS HVMBLI FRATER
Epigr. IIII.

Arripuit ſceptrum turbato fratre Lotherus:
Regalesq́ ferox accumulauit opes.
Non contentus erat germanum pellere fratrem:
Fraternos ſocios tradidit, ecce, neci.
Qui ſemel in tetrum facinus tranſuerſus abiuit,
In vicium pronus quodlibet ille ruit.

A proprijs merita subuersus cæde ministris,
Æquum iudicium nunciat esse Dei.

SCHIOLDVS LOTHERI FIL.
Epigr. V.

Egregius niueo cordis candore Schiöldus
Nobile virtutis continuauit iter.
Teutonicum Scatum speciali Marte refregit,
Vt thalamum peteret, mitis Auilda, tuum:
Cessit tunc populosa bonis Alemannia Danis,
Quæ priùs à nullo Rege subacta fuit.
Iura feri iustus damnauit iniqua parentis:
Crimina maiorum qui fugit, ille sapit.

GRAMVS SCHIOLDI FIL.
Epigr. VI.

Gramus ab eximio prognatus patre Schiöldo,
Lucida Mauortis promtus ad arma fuit.
Sictrugum, Sueonum Regem, demisit in Orcum,
Et rigido Goticos perculit ense Duces.
Ringonem domuit ciuilia bella mouentem:
Belligeris Finnis acria iura dedit.
Regna graui demùm Noruegica Marte fatigans,
Inuersa belli sorte repressus obit.

SVIBDAGERVS NORVAGIVS gener Grami. Epigram. VII.

Cùm Suibdagerus Gramum victricibus armis
Preßißet: Victor Danica sceptra tulit.
Filiolam Regis bellamq́, probamq́, subacti
Excepit socio, lege fauente, toro:
Quæ pro fratre suo Guthormo vota peregit,
Viueret vt Danis principis ille loco:
Solueret & fidus victori scripta tributa,
Firmataq́ daret relligione fidem.

GVTHORMVS GRAMI FIL. AFFInisq́ Suibdageri. Epigr. VIII.

Danica quo pacto Guthormus regna tenebat,
Maioris Domini subditus Imperio?
Sic Fortuna minax voluit: Dea tanta ferenda,
Multaq́ sunt magnis dißimulanda viris.
Noluit hunc populus Regem cognoscere viuum:
Post mortem nomen nobile Regis habet.
Liuor iners viuos merito defraudat honore:
Post cineres floret gloria vera tamen.

HADINGVS GVTHORMI FRAter. Epigr. IX.

Hellespontiacum Regem superauit Hadingus:
Marteq́ Dunenses cepit & arte viros.

Victorem patris valido certamine strauit.
Sustulit & Regem, Suecia magna, tuum.
Contulit Hundingo Gotici moderamina regni,
Cuius candorem nouerat atq; fidem:
Magnus vtrunq; fauor siquidem coniunxerat olim,
Qui tandem amborum proditus interitu.

FROTO HADINGI FIL.
Epigr. X.

Filius ingenuus Froto patre natus Hadingo
Vtilis ingenio consilioq; nitet.
Vicit Curetas, debellauitq; Ruthenos:
Vrbes vastauit, Frisia culta, tuas.
Dùm premit Anduanum quà prominet Hellespontus,
En gener efficitur qui fuit hostis atrox.
Contudit hinc Scotos acres, agilesq; Britannos.
In Sueones ducens bella cruenta, cadit.

HALDANVS FROTONIS FIL.
Epigr. XI.

Solus vt Haldanus regni tractaret habenas
Sustulit, heu, fratres fraude doloq; suos.
Quid non designat dominandi sæua cupido?
Quas non excipiunt pectora dira faces?
Vt tamen hæc mittam, cur hic sine cæde Tyrannus
Exegit vitæ tempora longa suæ?

Vera cano: reprobæ veniet sua pœna cateruæ:
Euenientq́; bonis præmia digna viris.

ROA HALDANI FIL.
Epigr. XII.

Corpore quantumuis paruus, tamen ecce vigebat
Ingenij magnus nobilitate, Roa.
Legibus ornauit regnum sanisq́; bonisq́;:
Sic meruit patriæ dicier ille pater.
Vrbem constituit, Danis Roschildia fertur,
Multorum regum quæ monumenta tenet.
Hunc Regneriades Hotbrodus marte peremit:
Succubuitq́; hosti Dania victa suo.

HOTBRODVS FROTONIS E SORO-re nepos, idemq́; Haldani amitinus.
Epigram. XIII.

Nobilis Hotbrodus, Danorum Rege peremto,
Præsidibus Suecis Danica regna dedit.
Fraterni vindex fati nitidißimus Helgo,
Hostibus eripuit munia tanta suis.
Rex nouus Hotbrodus terraq́;, mariq́;, repressus,
Præcipiti subijt Tartara cæca gradu.
Quisquis es, ancipitis cognosce pericula belli:
Euentus dubios alea Martis habet.

HEL.

HELGO ROÆ FRATER HOTBRO-
di verò cognatus. Epigr. XIIII.

Cùm Sueones rigidos patrijs pulsasset ab oris,
Helgo manu promtus debita sceptra tulit.
Classe cita Sclauos, speciali lege duelli
Hundingum oppreßit robore & arte valens.
Saxonas edomitos Cimbrorum finibus arcens,
Esse sui monuit libera iura throni.
Stuprauit propriam, deceptus pellice, gnatam:
Ob facinus pœnas sponte suapte luit.

ROLVO HELGONIS FIL.
Epigr. XV.

Deuicit Sueones Roluo, Regemq; peremit:
Hartuaro affini regna subacta dedit.
Proq; suis meritis sibi scripta tributa poposcit:
Sed quæ sperauit, non tulit illa, sibi.
Nanq; vbi vectigal deberent péndere Sueci,
Horrida compositis arma tulêre dolis.
Rex autem incautus, flamma ferroq;, necatur:
Credulitas, eheu, quanta pericla trahit.

HARTVARVS ROLVONIS SO-
rorius. Epigr. XVI.

Regna per insidias Hartuarus Danica Suecus
Arripuit: raptas moxq; reliquit opes.

Quæ dedit Imperium, lux vitam ſuſtulit illi.
Eià, quàm penſat ſingula facta Deus.
Perculit hunc Viggo niueus Roluonis amicus,
Per Suecos etiam traditus ipſe neci.
Inſurgit rumor, volitant in prælia Dani:
Nec mora, Suecorum turma cruenta cadit.

HOTHERVS HOTBRODI FIL.
idemq́. è Sorore pronepos. FROT.
Epigr. XVII.

Montibus ex altis docuit proferre metalla,
Accumulans magnas diues Hotherus opes.
Cum lepidis igitur Nymphis in vallibus imis
Hunc egiſſe virum fabula priſca refert.
Vicit Othiniaden Balderum fortibus armis,
Noruagicosq́; fero contudit enſe duces.
Boius Othiniades, Rinda genitrice creatus,
Suſtulit & Regem, victus & occubuit.

RORICVS HOTHERI FIL.
Epigr. XVIII

Roricus èximio genitore creatus Hothero,
Horrida Vandalicis intulit arma viris.
Agmina parcuntur: ſpeciali marte duorum
Res agitur: miles Danicus ictus obit.

Scla-

Sclauus vt exultans successu sortis amicæ,
Proijcit in nostros scommata torta duces:
Prosiliens Vbbo, Danorum sanguine cretus,
Iactatorem auidum sternit, & opprimitur.

HORVENDILLVS IVTVS RO-rici gener. Epigr. XIX.

Cimbriaci Imperij tulit Horuendillus habenas,
Qui nitidi Martis gloria magna fuit.
Collerum domuit Noruegica regna tenentem,
Robur & infregit, Sela virago, tuum:
Hæc fera Colleri soror, alto dedita Marti,
Vera suæ genti Penthesilæa fuit.
Roricus hunc generum summo dignatus honore
Effecit sponsum, clara Geruta, tuum.

FENGO HORVENDILLI FRA-ter. Epigr. XX.

Eripuit fratri vitam, & cum coniuge regnum,
Se statuens triplici crimine Fengo reum.
Sic scelus adijciunt sceleri quibus improba mens est:
Queîs Deus haud curæ, nec pietatis amor.
An reprobo fulgens producta est vita Tyranno?
Fraudes qui struxit, fraudibus interijt.
Ambletus fatuos mores simulare peritus,
Enseq; & igne malum subruit, ecce, virum.

AMBLETVS HORVENDILLI
Fil. idemq́ Rorici ex filia Geruta nepos.
Epigr. XXI.

Sublato patruo princeps Ambletus ouauit:
Sceptraq́ communi debita voce tulit.
Hic Hermutrudam sibi iunxit lege iugali,
Quæ tenuit digna Scotica regna manu.
Belligeros fudit mira vafer arte Britannos:
Hostilesq́ sagax euacuauit opes.
Oppetijt demùm patrijs superatus in oris:
O, quam fortunæ fidere nemo potest.

VIGLETVS CIMBRIVS
Epigr. XXII.

Cimbrius eximio splendens Vigletus honore,
Victrici posuit celsa tropæa manu.
Contudit Ambletum bello præclarus & arte:
Is licet & bello clarus, & arte, fuit.
Proruit, en, coniux victi, victoris in vlnas:
Vsque adeò varia est res muliebris amor.
Vectus ad Imperium traduxit suauiter annos,
Donec adimplêsset tempora longa senex.

VERMVNDVS VIGLETI FIL.
Epigr. XXIII.

Gloria Vermundum decorauit fulgida Regem,
Qui patre Vigleto filius ortus erat.

Huius

Huius ad aſpectum, qui Cimbros preßit Atiſlus
Cum Sueonum grandi terga cohorte dedit.
Luminibus caſſum faceret cùm dura ſenectus
Perſtrinxit Regem ſcommate Saxo graui.
Hoſtilem faſtum compeſcens filius Vffo,
Saxonicas fregit, Marte coruſcus, opes.

VFFO VERMVNDI FIL. COGNO-mento Olaus Manſuetus. Epigr. XXIIII.

Corporea retulit ſublimem mole gigantem,
Vermundo genitus belliger Vffo patre.
Pectore viſus iners, iuuenis quòd pauca locutus
Ceperit Harpocratis ſigna verenda ſequi:
Quàm fuerit ſapiens tamen, inclyta geſta docebunt,
Et domita illius Saxonis ora manu.
Seruauit patriam, leges defendit auitas:
Iuſtus & æquus erat, qui taciturnus erat.

DAN II. VFFONIS FIL. Epigr. XXV.

Filius Vffonis Dan, huius nominis alter,
Edidit auſpicio prælia pulcra bono.
Sed nitidæ tumidus ſucceſſu ſortis, abiuit
Mancipium Veneris, mancipiumq́; gulæ.
Sic ab honorifica deſciſcunt ſtirpe parentum
Pignora portentis æquiparanda feris.

Tu quicunq; ſacram virtutis tendis in arcem,
Iudicium rectæ fac rationis ames.

HVGLETVS.
Epigr. XXVI.

Naumachia vndoſa præſtans Hugletus, adiuit
Grandia pro patriæ laude pericla ſuæ.
Contudit Hogrinum, rigidumq; repeſsit Hometum,
Quos genuit Marti Suecia dura graui.
Cætera quæ geſsit, quia Vatum nemo notauit,
Ecce, tenebroſa nocte ſepulta latent.
Diſcite, vos proceres, homines non ſpernere doctos,
Ingenijs quorum nomina veſtra vigent.

FROTO II. COGNOMENTO VEgetus. Epigr. XXVII.

Corpore robuſto præſtabat Froto Secundus,
Vnde etiam Vegetus nomine dictus erat.
Noruagijs preſsis, Regemq; Magumq; Frogerum,
Et bis quinq; ſimul ſuſtulit ille Duces.
Deuictis populis præſcripſit Danica iura,
Et bello pacis prætulit vſq; decus.
Iſtis temporibus Latij laus Tullius oris,
Occidit: & natus Naſo Poëta fuit.

DAN

DAN III. Epigr. XXVIII.

Bissenos numerans vitæ Dan Tertius annos,
Suscepit tenera splendida sceptra manu.
Mente senex, ætate puer, iuuenisq; labore,
Consilio, forma, robore, clarus erat.
Saxonicæ proceres terræ, populosq; rebelles,
Ad flumen domuit, spumifer Albi, tuum:
Quodq; sibi petijt ferri gens dura tributum,
Hoc rigidis Danis soluere iussa fuit.

FRIDLEVVS COGNOMINATVS Celer. Epigr. XXIX.

Auxit & ornauit nostri pomœria regni
Fridleuus, gressu, nomine, mente, Celer.
Blandus amœna dedit subiectis iura: sed acer
Hostibus iniecit dura capistra suis.
Subdidit Hollandos, Hibernos atq; Britannos:
Mox tamen excussit Danica Brito iuga.
Imperium tenuit tunc Cæsar Iulius orbis:
Eius at in Danos nil potuêre manus.

FROTO III. FRIDLEVI FIL. Epigr. XXX.

Vandaliam Froto cepit, vicitq; Ruthenos,
Pannonas, ac Hunnos, Britonas, atq; Getas.

Hibernos, Finnos, Normannos, atq; Suëcos
Et populos fregit, Lappia vasta, tuos.
Hic ita longinquis effulsit victor in oris,
Terroriq; feris hostibus vsq; fuit.
Pacificus demùm vixit sine marte cruento:
Quo genitus Christus tempore, nostra salus.

HIARNO POETA DANICVS.
Epigr. XXXI.

Frotonis tumulum metris decorauit Hiarno:
Mercedemq; sibi sceptra corusca tulit.
Hæc meruit patrij tantùm sermonis abundans:
Vatibus Aonijs muneris ecquid erit?
E tenebris raptos satrapas quod viuere cernis,
Regibus & magnis nomina clara dari:
Id tribues Musis sapientibus, atq; Poëtis,
Quorum scripta die lucidiora nitent.

FRIDLEVVS II. FROTONIS III.
Fil. Epigr. XXXII.

Alter Fridleuus, Frotone parente creatus,
Iura dedit genti, Rußia cruda, tuæ:
Qui de morte patris cùm factus certior esset,
Regna sibi patrio debita iure petit.
Strauit Hiarnonem veteris de more duelli,
Cui diadema nitens libera Musa dedit.

Terru-

Terruit insigni bello Noruegica regna :
Seq; tibi iunxit, bella Frogerta, virum.

FROTO IIII. FRIDLEVI II. FIL. cognominatus Largus. Epigr. XXXIII.

Quartus adest Froto, dictus cognomine Largus
Quòd dederit larga splendida dona manu :
Iusticiam coluit virtutis amore : nec vnquam
Dignis subtraxit præmia digna viris.
Huic se subiecit Regi Noruegia victa :
Huic etiam palmam Rußia quassa dedit.
Vicit & Hibernos, & duros Saxonas, armis :
Suertingi infido concidit, ecce, dolo.

INGELLVS FROTONIS IIII. Fil. Epigr. XXXIIII.

Dicitur Ingellus stupidus rudisq; : sed ipsum
Prudentem insinuant splendida facta virum.
Nam sua cunctanter quantumuis munia geßit,
Perfecit studio non tamen illa malo.
Saxonicos satrapas violenta cæde peremit,
Quorum fraude pater Froto necatus erat.
Starcherus tantæ virtutis dicitur autor,
Qui monitis acuit regia corda suis.

OLAVS

OLAVS INGELLI FIL.
Epigr. XXXV.

Binis quos genuit natis moriturus Olaus
Destribuit totum prouidus Imperium:
Alternis vicibus maris hic vt frena gubernans,
Naumachia hostiles debilitaret opes:
Hic terræ Dominus populis ius diceret æquum,
Et ciuile volens aggrederetur opus.
Quid reliquam Regis vitam cognoscere tentas?
Qui benè delituit, vixit & ille benè.

HARALDVS OLAI FIL.
Epigr. XXXVI.

Piratas domuit truculentos fortis Haraldus,
Qui petiêre fera Danica regna manu.
Pugnantem vidit non raro Balthica Tethis,
Et Goticus Nereus, Oceanusq́; pater.
Cæruleæ ô quoties hostili sanguine Diuæ
Infectæ, tumidis erubuêre genis.
Fraude mali fratris periјt clarißimus heros:
Cur premis insidijs, turba profana, bonos?

FROTO V. HARALDI FRATER
Epigr. XXXVII.

Quintus ad Imperium Froto post funera fratris,
Consensu populi, nobile vectus erat.

Nec

Nec virtutis opus coluit, nec Apollinis artes,
Delicijs Veneris deditus, atq; gulæ.
Fraude probum fratrem qui sustulit, ille nepotum
Versuta captus calliditate ruit.
Tàm subitò pereunt reprobi plerunq; Tyranni,
Iusticiæ qui non munia læta probant.

HALDANUS II. HARALDI Fil. cognominatus Biargrammus. Epigr. XXXVIII.

Haldanus nulli Regum pietate Secundus,
En, patriam iusta cæde piauit humum.
Debita sceptra tulit, toto plaudente theatro:
Dilecto fratri quæ moderanda dabat.
Ipsemet intereà fera gaudens ducere bella,
Concußit Sueones liberiore manu.
Ebbonem, Hartbenum, Siualdũ, Ecterum, & Aquinũ
Exitio tristi fortis athleta dedit.

HARALDUS II. HALDANI II. frater. Epigr. XXXIX.

Egregia præstans virtute Secundus Haraldus,
Regalem titulum fratre volente tulit.
Hunc Frotoniades victum interfecit Ericus,
Fratribus his binis qui patruelis erat.

Rex Frotoniaden Haldanus cepit eundem,
Cuius membra feris dilanianda dedit.
Victor ita excellens fratri succeßit Haraldo
Haldanus coniux, bella Thorilda, tuus.

VNGVINVS GOTICVS.
Epigr. XL.

Vnguinus veteri prognatus sanguine Regum,
Qui Gotici tenuit fulgida regna soli:
Per testamentum morituri Regis adiuit
Splendidus imperium, Dania clara, tuum.
Æmulus hunc pepulit solio Regnaldus ab alto,
Horrisoni Martis grande secutus opus.
Discite fortunæ non ulli fidere, Reges:
Qui didicit Christo fidere, tutus erit.

SIVALDVS VNGVINI FIL.
Epigr. XLI.

Libera Siualdum decorauit Dania Regem,
Nec minùs hic gnatæ fulsit honore suæ.
Illa Sirita suo digniſsima nomine splendens,
Corporis & mentis dotibus alta stetit.
Quæ cùm mille procis, castißima virgo placeret,
Qui fieret sponsus solus Otarus erat.
Rex genero fretus Regnaldum perculit hostem,
Arripuitq́ graui Suetica regna manu.

SIGARVS SIVALDI FIL.
Epigr. XLII.

Qua potuit Signen gnatam pater arte Sigarus
Cinxit, at hanc domuit non minùs acer Amor.
Vestibus Hagbertus siquidem muliebribus vsus,
Iuit in amplexus, regia virgo, tuos.
Deceptor capitur, trabibus suspenditur altis:
Infert ipsa sibi mœsta puella necem.
Lis oritur: Danis concurrit Suetica turma:
Rex ruit oppressus: plurimi vtrinq; cadunt.

SIVALDVS II. SIGARI FIL.
Epigr. XLIII.

Rex poterat celebris Siualdus haberier alter,
Funera post patris: noluit ille tamen.
Quin potius rigidos hostes pulsare paratus,
Elegit pulcra claudere morte diem.
Hoc bello accepit non paruum Dania vulnus,
Regibus amißis nobilibusq; viris.
I nunc, & magni dic vanam Numinis iram:
Et iacta cædes, crimina, stupra, dolos.

REGES PLEBEI.
Epigr. XLIIII.

Regibus extinctis proceres plebs Dana creauit,
Qui regerent oras, Dania mœsta, tuas.

Roricum & Haterum rectores Iutia ſumſit:
Hano Fioniaco ductor in orbe fuit.
Hundingum dominum populoſa Selandia fecit:
Oſtmarus verò Scanica ſigna tulit.
Tàm varijs ducibus laceratum nobile Regnum,
Rebus in humanis cuncta caduca monet.

HALDANVS III. BORCARI DANICI Fil. ex Drota, Regnaldi Normannici Regis filia. Epigr. XLV.

Tertius Haldanus viguit cognomine Fortis:
Forti etenim expedijt fortia facta manu.
Vnum atq; vndenos, mediosq; oppreßit athletas:
Te meruit forti, bella Iuritha, manu.
Quadrato ſuperans plebeios agmine Reges,
Diuiſum arripuit ſtrenuus Imperium:
A quibus ille tamen longo certamine victus,
Commiſit gnato bella gerenda ſuo.

HARALDVS III. HALDANI III. Fil. ex Iuritha, nepte Sigari Regis. Epigr. XLVI.

Filius Haldano patri ſucceßit Haraldus,
Ingenij ſumma calliditate vafer.
Principe quo ſparſas collegit Dania vires,
Regeq; Noruagicæ quo viguêre manus.

Auspicio cuius victi iacuêre Britanni,
Et Galli, & Scoti, Frisiacięq́; duces.
Lustra decem coluit pia lætæ munia pacis:
Decrepitus cecidit clara per arma senex.

RINGO SVETICVS REX. HAraldi III. è sorore nepos. Epigr. XLVII.

Ne celebris vili caperetur auunculus vrna,
Ringo nepos illi pulcra sepulcra dedit.
Qui rutilos alta nactus virtute triumpos
Subiecto posuit clara tropæa solo.
Tunc auulsa suo nitidissima Scania regno
Noruagico cessit, Rege iubente, duci.
Danorum precibus Ringo commotus amanter,
Dat reliquas terras, Hetta virago, tibi.

HETTA BELLATRIX. Epigr. XLVIII.

Hetta decens forma, simul & clarissima mente,
Regibus inuictis annumeranda venit.
Fœmineis hæc non calathis, non dedita lanæ:
Non tulit imbelli mollia pensa colo.
Ad belli fremitus, & ad aspera promtior arma,
Sustinuit docta prælia dura manu.

Cùm fastidirent Dani muliebria regna,
Reginam coluit Iutia sola probam.

OLO NORVEGIÆ REX RINGO- nis Consobrinus, & idem nepos Harald- di III. Epigr. XLIX.

Olo Gunnonem Rex Grimonemq; Tyrannos
Prostrauit manibus, fortiter ipse, suis.
Tùm pugiles Scatum, validumq; necauit Hiallum:
Amplexusq; tulit, nobilis Esa, tuos.
Hinc decies septem claro certamine Reges
Deleuit, pelagi per loca vasta means.
Starcheri peryt vesana fraude petitus:
Improba sic multos fallit amicicia.

OMVNDVS OLONIS FIL. Epigr. L.

Floridus Omundus Noruegica regna subegit:
Et fregit vires, Rusla virago, tuas.
Inq; Henetos Reges se tollens fortibus armis,
Concussit belli fulmine Vandaliam.
Tùm placidam vitam firmata pace peregit:
Dulcibus & Musis ocia grata dedit.
Principis est Virtus non tàm fera prælia Martis,
Quàm nitidæ blandum pacis amare decus.

SIVAR.

SIVARDVS OMVNDI FIL.
Epigr. LI.

Nec valuit fausto Siuardus marte, nec arte,
Sed fortuna viro nec satis æqua fuit:
Quare quæ studij cepto conamine gessit,
Hæc ea successum cuncta tulere malum.
Pulsus enim Suecis amisit Scanica fulcra:
Inferior, Sclauis Cimbrica frena dedit.
Indè graui Scanum deleuit strage Simonem,
Qua tamen in pugna decidit ille simul.

BVTLVS SIVARDI FRATER.
Epigr. LII.

Post fratrem obtinuit Butlus lacrymabile regnum,
Subiectus Gotico, Vandalicoq́ue iugo.
Sed rigidis quid non hic hostibus intulit arma,
Nomina qui voluit Regis habere boni?
Illi, vaticinor, non defuit alta voluntas:
Defuit incerto quæ sedet orbe dea.
Maxima summorum res est prudentia Regum:
Fors tamen hanc dubio sub pede cauta premit.

IARMERICVS SIVARDI FIL.
Epigr. LIII.

Non minimo fulsit Rex Iarmericus honore:
Vicit enim Sueones, Sclauonicosq́ue duces.

Liuonides Bicco, delator perfidus, illum
In cædem armauit, casta Suauilda, tuam.
Vnde per affines pugna deletus acerba,
Præmia tàm stolidæ credulitatis habet.
Quot claros homines insana calumnia fœdat:
Quàm vicina bonis Regibus ista lues.

BRODERVS IARMERICI Fil. Epigr. LIIII.

Post patris exitium tulit aurea sceptra Broderus,
Aptus ad arma parum, Mars truculente, tua:
Aptior, inquirens rapidarum lustra ferarum,
Extitit ad studium, Delia diua, tuum.
Pacis amans niueæ populum sine crimine rexit:
Felix qui potuit munia tanta sequi.
Pace vigent leges, florescunt pace Camœnæ,
Pace nitent Vrbes, pace coluntur agri.

SIVALDVS III. Epigr. LV.

Tertius acceptis regni Siualdus habenis,
Aspexit gnati fortia facta sui:
Vtpotè qui veterem patriæ renouauit honorem,
Suscipiens tumido claßica bella freto.
Qui quoq; præstantes pugiles transmisit in Orcum
Te turpi eripiens, Scania fœta, iugo.

Hæc genitor gnati templatus fulgida gesta:
Sneio, decens hæres tu mihi, dixit, eris.

SNEIO SIVALDI III. FIL.
Epigr. LVI.

Sneio Gotos Danis subiecit iure duelli:
Multaq; cum Suecis prælia sustinuit.
Auspice pugnaces hoc Iutia Cimbrica turmas
Vmbricios, Herulos, Vinniliosq;, dedit:
Qui populis iuncti, genuit quos nobilis Albis,
Ceperunt sedes dura per arma nouas.
Hinc Lombardiaci regni manauit origo,
Culta vetustatis ceu monumenta docent.

BIORNO.
Epigr. LVII.

Cur sedet obscurus dic, auree Phœbe, Biorno:
Cùm tulerit celsa fulgida sceptra manu?
Sic ego: sic contrà citharæ pulsatur Apollo,
Qui nitidus Vatum dicitur esse pater.
Quos lepidæ nullo dignantur honore Camœnæ,
Hos nullæ laudes, gloria nulla manet:
At quibus Aoniæ donant sua munera Diuæ,
Nomen habent clarum, perpetuumq; decus.

HARALDVS IIII.
Epigr. LVIII.

Quartus adeſt ſolo titulo deſcriptus Haraldus:
Nec nitet hic facti nobilitate ſui.
Magnanimi Reges, homines adamate peritos,
Inclyta qui veſtri temporis acta notent.
Hiſtoricis nam quid melius, doctisq; Poëtis,
Qui decorant ſcriptis Regia geſta ſuis?
Mœnia rumpuntur, pereunt ætate metalla:
Hiſtoriæ, nec non carmina, morte carent.

GORMO HARALDI IIII.
Fil. Epigr. LIX.

Abdita naturæ quærens ſpectacula Gormo,
Suſtinuit longæ tædia lenta viæ.
Vidit Hyperborei mundi miracula dira,
Infernasq; domos, Tartareosq; duces.
Multaq; cognouit tenebrarum vectus in orbem,
Temporibus noſtris non habitura fidem.
Gentibus è Danis tunc primus dogmata Chriſti
Torchillus cepta, fertur amaſſe, fide.

GOTRICVS GORMONIS
Fil. Epigr. LX.

Gotricus antiqua prognatus origine Regum,
Pace fuit clarus, militiaq; nitens.

Saxoniam domuit conflictu, lege, tributo:
Suecorumq; armis contudit arma suis.
Illius & vires sensisti, Carole Magne:
Et tu magnificis, Frisia clara, viris.
Tempore cùm longo regni tenuisset habenas,
Decidit insidys militis ipse sui.

OLAVS II. GOTRICI FIL. OLGErus appellatus. Epigr. LXI.

Patria regna graui bello lacerauit Olaus,
Subiecitq; iræ publica iura suæ.
Doctiloquis Gallis Olgerus dicitur idem:
De quo tu, lector, Gallica scripta leges.
Gallorum siquidem socialia castra secutus,
Præsidium fecit, Carole Magne, tibi:
Vnde Saraceni dare terga probrosa coacti,
Quà rigat Hesperios Bætis Iberus agros.

HEMMINGVS OLAI II. Fil. Epigr. LXII.

Vt niuea populos Hemmingus pace teneret,
Duceret & vitæ tempora læta suæ:
Fœdera iusta Pio cum Cæsare fecit, & ipsum
Quàm sibi, tàm regno, iunxit amore pari.
Principis est Virtus non tantùm Martia bella,
Verùm etiam niueum pacis amare decus.

Grata Deo pax eſt, pax eſt quoq; grata Camœnis:
Lex, Pietas, Muſæ, Marte furente, iacent.

RINGO II. GOTRICI EX FILIA nepos. Idemq; Hemmingi amitinus.

Epigr. LXIII.

Cimbrica conſtituit Ringonem Iutia Regem,
Quà nitet Vmbricio celſa Viberga ſolo.
Eiuſdem imperium ſpecioſa Selandia ſpreuit,
Vtpotè Siuardi mota fauore ducis.
Gotricus hos habuit gnatarum ſtirpe nepotes:
Daniadum Regum Gotricus altus honor.
Totius vt regni raperet ſibi Ringo coronam,
In conſobrinum protulit arma ſuum.

SIVARDVS II. COGNOMENTO Ringo, Ringonis II. conſobrinus.

Epigr. LXIIII.

Vandaliam preßit Siuardus vindice dextra,
Qui tuus enituit, Gotrice priſce, nepos:
Quem conſobrinus cùm Ringo vocaſſet in arma,
Excelſi ſocius qui fuit Imperij:
Diſiecti rapido ciuilis fulmine belli,
Ad manes tetrum corripuêre gradum.
Iungere quos renuunt Regum ſpecioſa theatra,
Illos non renuit iungere furua domus.

REGNERVS SIVARDI II. Fil. Epigr. LXV.

Marte feros Sueones Regnerus triuit acerbo:
Noruagicum sceptrum clara per arma tulit.
Ciuiles fremitus domito compescuit hoste:
Cæsaris infregit bellipotentis opes.
Saxoniam cepit: Gallorum depulit arma:
Inuasit Scotos, Britonas, atq; Petos.
Orcadas arripuit: terras Athamantidos Helles
Terruit: Hiberno principe captus, obit.

IVARVS REGNERI FIL. Epigr. LXVI.

Tàm virtute potens, quàm sanguine celsus, Iuarus
Horrisoni Martis grande peregit opus.
Britonas, Hibernosq; petens victricibus armis
Eripuit vitam, belliger Hella, tibi.
Sic patrij fati vindex clarißimus iuit,
Hostilesq; ferox attenuauit opes.
Anglica regna suo prudens moderamine rexit:
Germano fratri Danica sceptra dedit.

SIVARDVS III. IVARI FRAter. Epigr. LXVII.

Igneus ingenio Siuardus, & arte refulgens,
Daniacum regnum, fratre volente, tulit.

Pugnantem vidit Ligeris, rapidusq́ Garumna,
Danubiusq́ potens, Eridanusq́ celer.
Nauigio celebri violentos contudit hostes,
Quà Slesuicanam Nereus ambit humum.
Pacificæ demùm transfuso tempore vitæ,
Pïerijs Nymphis ocia grata dedit.

ERICVS SIVARDI III. CONsanguineus. Epigr. LXVIII.

Stemmate Siuardi Regis generosus, Ericus
In consanguineos sustulit arma suos:
Quo penitus bello consumtus regna reliquit,
Quæ tulit insanæ seditionis amans.
Numina sic rigidos conculcant celsa Tyrannos:
Quiq́ bonos lædunt, hos quoq́ pœna manet
Talibus exemplis homines traherentur iniqui:
Sed ruis in vetitum, turba profana, nefas.

ERICVS II. SIVARDI III. Fil. Epigr. LXIX.

Rex fit honorificus Siuardi gnatus Ericus,
A primo dùm vix vbere tractus adest.
Hostis habebatur Christi iuuenilibus annis:
Maturus, coluit iussa verenda Dei.
Nec coluit tantùm, sed & omnes ritè doceri
Mandauit summi de bonitate Patris:

Tempore quo noſtris, diuinus præſul, in oris
Protulit Anſcarius dogmata ſana Dei.

CANVTVS ERICI II. FIL.
Epigr. LXX.

Aurea Danorum geſtauit ſceptra Canutus,
Mirifica præſtans qui probitate fuit.
Huic Ennignupus præclaras tradidit artes,
Suſtinuitq́ humeris pondera vaſta ſuis.
Rex, Regnumq́, boni viguêrunt voce magiſtri,
Audijt & doctum plebs animoſa ſenem.
Tunc in honore fuit Virtus, tunc inclyta Muſa
Aureolis nituit conſpicienda comis.

FROTO VI. CANVTI FIL.
Epigr. LXXI.

Marte potens Froto, ſed pace potentior alma,
Inter honoratos fert diadema viros.
Fonte ſacro tinctum veneranda Britannia vidit,
Dogmate quæ Chriſti clara, decensq́, ſtetit.
Hic populis ſcripſit ſubiectis candida iura:
Et Chriſti iuſsit ſancta ſtatuta coli.
Condere quippè bonas leges, eſt pectoris æqui:
Diuini reputa cordis, amare Deum.

GOR-

GORMO II. FROTONIS VI.
Fil. cognominatus Anglicus.
Epigr. LXXII.

Gormonem ſpreuit populoſa Britannia Regem,
Dania quem digno mitis honore tulit.
Anglicus hic prima celebratus origine fulſit:
Cognomen patrio ſuſtulit ille ſolo.
Cur non Imperium tenuit præclarus vtrunq;?
Sic voluit dubia quæ Dea nixa rota eſt:
Adde, quòd eſt durum ſtudium mortalibus ipſis,
Prouida Fatorum nolle ſtatuta ſequi.

HARALDVS V. GORMONIS II.
Fil. Epigr. LXXIII.

Cultor opum, verus cui defuit vſus, Haraldus
Extitit, & fœdæ ſeruus auariciæ:
Quare nec nitidam famam, nec nobile nomen
Inter honorificos obtinet ipſe viros.
Sint igitur proceres largi, ſint deniq; mites,
Et tribuant dignis præmia digna viris.
Larga manus decorat Reges, & promta voluntas:
Seruiles animos ſordida cura probat.

GORMO III. HARALDI V. Fil. Epigr. LXXIIII.

Saluifici Gormo contemsit nomina Christi:
Duraq; Christicolis intulit arma pijs.
Progenuit binos huic Thira Britannica gnatos,
Per quos Sclauorum est debilitata manus:
A quibus & pugna tentata est Anglica tellus,
Ac Hibernorum castra reuulsa ducum.
Cùm senior natus rutus esset ab hoste Canutus,
Decrepitus proprio se pater ense ferit.

HARALDVS VI. GORMONIS III. Fil. Epigr. LXXV.

Classica bella ferox pelago confecit Haraldus,
Quassauitq; armis extera regna suis.
Vandalicam gentem superauit, cepit & vrbem
Cui nomen Victor Iulius antè dedit.
Induperatorem vindex inuasit Othonem
Cimbrica quòd valida presserat arua manu.
Fulgidus hic princeps gnati ambitione fugatur:
Exulem ab insidijs missa sagitta necat.

SVENO HARALDI VI. FIL. Epigr. LXXVI.

Qui pepulit regno dilectum Sueno parentem,
Quae sibi commeruit praemia digna tulit.

Vandalica vinclis ter strictus gente iacebat:
Fortiter à Sueonum Rege repressus erat.
Post miseros casus tandem sua crimina fassus,
En, sibi placatum sentijt esse Deum.
Tùm demùm Victor Noruegica regna subegit,
Et votis habuit consona fata suis.

CANVTVS II. COGNOMENTO MAgnus, Suenonis Fil. Epigr. LXXVII.

Magnifica fulsit belli Virtute Canutus,
Cui cognomentum nobile Magnus erat.
Sclauos & Sembos vicit, cultosq; Britannos:
Noruagicos domuit, Marte fauente, duces:
Tùm quoq; Normannos petijt victricibus armis
Sequana quà gelidus Francica rura secat.
Morborum hic valido tandem cummulatus aceruo,
Sed Martis studio vix satiatus, obit.

CANVTVS III. COGNOMENTO Durus Canuti II. Fil. Epigr. LXXVIII.

Indolis egregiæ decoratus honore Canutus,
Ordine perspicuo dinumerandus adest.
Extera Regna, pater præstans quæ rexerat antè,
Hæc valuit nullo iure tenere sibi.

Vsq; adeò cunctis non est fortuna fidelis:
Quæ rapit huic, alij promere dona solet.
Ergò vagæ Dominæ ludibria ferre decenter,
Principis excellens est sapientis opus.

MAGNVS COGNOMENTO BONVS Sancti Olai Noruegiæ Regis Fil. Epigr. LXXIX.

Claßibus æquoreis Magnus freta cærula findens,
Suenonem docuit vertere terga ducem.
Terrestri ductu varians catus agmen, eundem
Danorum tota Victor abegit humo.
Cimbriaca Sclauos pepulit tellure procaces,
Et dedit illorum millia multa neci.
Omine non dextro, lepore occursante, periuit,
Cornipidis lapsu præcipitatus equi.

SVENO II. AMITINVS CANVti III. Epigr. LXXX.

Stemmate sublimi prognatus Sueno Secundus.
Post Magni interitum splendida sceptra tulit.
Euentu tristi petijt Noruegica Regna:
Victus enim turpi se dedit ecce fugæ.
Templa Dei iratus maculauit cæde cruenta,
Præsule cum precibus tura ferente sacris.

Dogmate mox monitus recto, sua crimina luxit:
Præstitit & summo pectora fida Deo.

HARALDVS VII. SVENONIS II. Fil. Epigr. LXXXI.

Septimus Imperium patriæ suscepit Haraldus,
Hoc licet imperio non satis aptus erat.
Vt procerum & vulgi sibi conciliaret amorem,
Censura tetigit crimina nulla graui.
Hinc variæ cædes ortæ, variæq́ rapinæ:
Hinc via vesanis strata libidinibus.
Delirant omnes nisi recta lege regantur:
Lege Deus colitur, lege iuuatur homo.

CANVTVS IIII. APPELLATVS Sanctus frater Haraldi VII. Epigr. LXXXII.

Ecce Canutus adest hoc dictus nomine Quartus:
Quem niueæ tenuit relligionis amor.
Estonas & Sembos, Curetasq́ ipse subegit:
Subiectisq́ viris æqua statuta dedit.
Non modò bella sequi, sed & almas dicere leges,
Crede mihi, res est principe digna viro.
Optimus hic patriæ pater à Blaccone petitus,
Christus vt à Iuda, proditione perit.

OLAVS

OLAVS III. CANVTI IIII. frater. Epigr. LXXXIII.

Cùm nitido ſolio princeps fulgeret Olaus,
Horribilis preßit Danica regna fames.
Non pluuias cœlum, non gramina terra recluſit:
Monſtrauêre ferum cuncta Elementa Deum.
Effuſis precibus pœnam Rex tranſtulit in ſe
Diuinam, patriæ captus amore ſuæ.
Rex moritur ſubitò, ſimul ac bona tempora dantur:
I nunc, & Votis pondus adeſſe nega.

ERICVS III. OLAI III. FRATER cognomento Bonus. Epigr. LXXXIIII.

Corpore robuſtus, linguaq; diſertus, Ericus:
Illicitæ Veneris ſed ſtudioſus erat.
In proceres Henetos victricia ſuſtulit arma
Terribilisq; ſolo, terribilisq; ſalo.
Nomine dùm Voti Solimorum tendit in vrbem,
Febribus inſanis exanimatus obit.
Intereà regnum patrium turbauit Haraldus
Filius, indignus ſumere ſceptra ſibi.

NICOLAVS ERICI III. FRAter. Epigr. LXXXV.

Nicoleos Sclauos vicit virtute Canuti,
Qui dux militiæ prouidus vſq; fuit:

Proditione tamen cecidit dux ille Canutus
Per gnatum Regis traditus exitio.
Ad scelus infandum Rex conniuebat ineptus:
Signabat iusto lumine cuncta Deus.
Pœna manet sontes: Regem, gnatumq́; peremit
Interitu iusti Dania mota viri.

HARALDVS VIII. ERICI III. FIL. IDEMqúe Diui Canuti à Magno Nicolai Regis filio interfecti frater. Epigr. LXXXVI.

Iutia regali titulo decorauit Haraldum,
Hoc splendore licèt non benè dignus erat.
Nempè latrocinijs famosus prædo cruentis,
Tentauit varijs crimina dira dolis.
Cæde iacet sæua fratre interfectus Erico:
Cumq́; parente suo pignora cæsa iacent.
Veste tamen sumta muliebri cautus Olaus,
Euasit patrui noxia tela sui.

ERICVS IIII. HARALDI VIII. frater. Epigr. LXXXVII.

Conseruït validam pugnam terraq́;, mariq́;,
Vnde decus magnum Quartus Ericus habet.
Quòd consanguineos rigidis deleuerit armis,
Imperij id fecit ductus amore sui.

Martia Sclauonicæ confregit robora gentis:
Tumq; tuas rigidus Rugia carpsit opes.
Post varios belli motus, variosq; labores,
Nescio qua vulgi seditione perit.

ERICVS V. ERICI IIII. EX SOrore nepos. Epigr. LXXXVIII.

Quintus Haraldiadem deleuit Ericus Olaum
Scanica tentantem motibus arua feris.
Felici gessit qui Marte domestica bella,
Hostibus externis terga pudenda dedit.
Vicinus tumulo regni dimisit habenas,
Seq; cucculligeris cœtibus inseruit.
Sumsit pro gladio, sphæra, diademate, sceptro,
Tegmina rasorum prodigiosa patrum.

CANVTVS V. NICOLAI REGIS ex Filio Magno nepos. Epigr. LXXXIX.

Quinte Canute, tibi fulget quoq; nobile nomen,
Vita licèt fuerit non diuturna tua.
Vtilis ipse quidem belliq;, domiq;, fuisti:
Sed fortuna tibi non satis æqua fuit.
Suenoni iunctus versuto munera Bacchi
Dùm libas, dira fraude necatus obis.
Qui socijs sese credit bibulisq;, malisq;,
Credere se toruis dicitur ille lupis.

SVE-

SVENO III. ERICI IIII. FIL.
Epigr. XC.

Mœnia Cimbriacæ firmauit Sueno Vibergæ,
Iutorum Vmbricia quæ regione nitet.
Hæc sita monte sacro demonstrat nominis ortum:
Diuinum montem quippè Viberga notat.
Vrbs ea cùm turres & propugnacla tulisset,
Litterula versa dicta Viburga fuit.
Hæc est, si nescis, Sadolino patria Vati:
Quam nunc metropolim Iutia tota colit.

VALDMARVS ERICI III. EX
Diuo Canuto Filio nepos.
Epigr. XCI.

Valdmarus nitido Suenonem Marte subegit,
Cuius sublatus fraude Canutus erat.
Illius ante pedes iacuit Finlandia victa:
Exhibuitq; illi Rugia pressa manus.
Oppida Vandalicæ concussit plurima gentis:
Teutoniæ varijs intulit arma locis.
Nec celebris tantùm bello, sed pace beatus
Ornauit studijs Danica ragna pijs.

CANVTVS VI. VALDMARI Fil. Epigr. XCII.

Sextus & ingenio præclarus & arte Canutus,
Eximio ſummis par ſtat honore viris.
Magnanimus torui contemſit Cæſaris iram,
A Danis voluit qui ſua iura coli.
Sclauorum rabiem ferro, flammaq́, refregit:
Refregitq́ tuas, Rugia dura, manus.
Hinc in Germanos cataphractum tranſtulit agmen,
Quos rapida Viadrus claudit & Albis aqua.

VALDMARVS II. CANVTI VI. frater. Epigr .XCIII.

Valdmarus domuit Finnos, & Liuonas acres:
Teutonicis fecit prælia multa plagis.
Hamburgum cepit, Romanaq́ depulit arma:
Ditmarico poſuit Martia caſtra ſolo.
Extractus regno Suarini fraude doloſi,
Pro reditu ſaluo munera magna dedit.
Deditus hinc Recti ſtudijs, Paciq́ dicatus,
Conſcripſit certis Danica Iura libris.

VALDMARVS III. VALDMARI II. Fil. Epigr. XCIIII.

Valdmarus iuuenis Valdmaro patre creatus,
Daniacis miſtus Regibus, ecce, nitet.

F Impe-

Imperij consors patrij tulit ipse coronam,
Hìc vbi Sluesuici splendida templa patent.
Duxit Iberorum Regum de stirpe puellam
Quæ Leonora suo nomine dicta fuit.
Sed nouus hic princeps, hæc & Regina nouella,
Ante diem fatis occubuêre suis.

ERICVS VI. VALDMARI III. frater. Epigr. XCV.

Imperij culmen conscendit Sextus Ericus:
Sed regni infausto sidere rexit opes.
Quippè dolo fratris deceptus, colla securi
Post varias clades percutienda dedit.
Truncatum corpus tenebrosis mergitur vndis,
Quà Slesuicana Sleia rotatur humo:
Hinc demùm extractum meruit regale sepulcrum:
Conscia fraterni stant monumenta doli.

ABEL ERICI VI. FRATER. Epigr. XCVI.

Horridus oppressor fratris, reprobusq; Tyrannus,
Dulce quid humani nomen Abelis habet.
Improbus hic certè non longo tempore fulsit:
Frisiaco siquidem corruit ille solo.

Hic hominum insanæ turbæ solet exitus esse,
Subijciunt pedibus qui sacra iura suis.
Qui sapit, imperij non ambitione tenetur:
Quin potius Spartam curat, amatq́; suam.

CHRISTOPHORVS ABELIS frater. Epigr. XCVII.

Christophorus nitido diademate tempora cinctus,
Et clarus niuea simplicitate fuit.
Hic, quia mitis erat sceleratáq; segnis ad arma,
Multa tulit Regi non toleranda viro.
Bella etiam tentans, velut omina cæca ferebant,
Sentijt in regno multa pericla suo.
Disce sequi fatum: fortunam disce vereri:
Sublimemq́; pius disce timere Deum.

ERICVS VII. CHRISTOPHORI Fil. Epigr. XCVIII.

Septimus Imperio regali vectus Ericus,
Non æquæ mentis labe notatus erat.
Thesauro sacra templa suo nudauit: & excors
Matronis castis intulit omne nefas.
Victus ab Holsatijs dominis, vinctusq́; catenis,
Criminis admissi præmia digna tulit.

Sed tamen emiſſus, patrias remeauit in oras:
Tùm demùm cecidit ſeditione graui.

ERICVS VIII. ERICI VII. FIL. Epigr. XCIX.

Ingenij cultu præſtans Octauus Ericus,
Et nitidus morum fertilitate ſtetit.
Marteq́ præcellens ſe præbuit hoſtibus acrem,
Danica regna ſuis qui petiêre minis.
Roſtochium cepit, Sundenſia mœnia fregit,
Oppidaq́ euertit plurima Vandaliæ.
Eſſe decet Regem iucundum, tempore pacis:
Eſſe decet durum, Marte furente graui.

CHRISTOPHORVS II. ERICI VIII. frater. Epigr. C.

Aurea Chriſtophorus geſtauit ſceptra Secundus
Manſueto celebris pectore donec erat.
Redditus immanis nimiùm, nimiumq́ ſeuerus,
Eijcitur ſolio triſtis inopsq́ dato.
Mitior effectus reuocatur ad inclyta regna:
Sæuior, en mota ſeditione, cadit.
Quiſquis es, ô ſanis memor eſto affectibus vti:
Sæpè ſua excelſis Regibus ira nocet.

VALD.

VALDMARVS IIII. CHRISTO-phori II. Fil. Epigr. CI.

Valdmarus regni felix defensor auiti,
Libera depulso Teutone iura dedit.
Elandos, Fimbros, Henetosq́, Gotosq́ subegit:
Contudit & vires, Sarmata dure, tuas.
Amphitheatra sibi victor nitidissima struxit,
Tempore quæ nostro diruta penè iacent.
Omnia sic rigido substant mortalia fato:
Sola tamen Virtus inuiolata manet.

OLAVS III. AQVINI REGIS Noruegiæ Filius, & idem Valdmari IIII. ex Margarita filia nepos. Epigr. CII.

En, successit auo puer ingeniosus Olaus,
Cui mens in tenero pectore docta fuit:
Quem peperit coniux castissima Regis Aquini,
Filia Valdmaro Margaris orta patre.
Paruus at occubuit primæ sub flore iuuentæ:
Spemq́ nouam patriæ mors inopina tulit.
Sic rosa luctifico pulcerrima sternitur austro:
Sic pereunt dura lilia fracta manu.

MARGARITA VALDMARI IIII. FILIA
Eademq́ Olai III. mater. Epigr. CIII.

Margaris extincti carißima mater Olai,
Plus quàm fœminea prædita mente ſtetit.
Legibus hæc æquis tenuit Noruegica regna:
Sumſit & egregia Danica ſceptra manu.
Perdomuit Sueonum Regem victricibus armis,
Subiecitq́ ſuo colla ſuperba iugo.
Bis tria luſtra trium regnorum rexit habenas,
Regali mulier clara potensq́ choro.

ERICVS IX. COGNOMENTO
Pomeranus. Epigr. CIIII.

Dux bonus & prudens Pomeranæ gentis Ericus,
Margaridis nutu Danica ſceptra tulit.
Fimbros ac Henetos domuit, Cimbrosq́ rebelles:
Vicit & Holſatios Friſiacosq́ duces.
Hic ætate grauis patrias remeauit in oras,
Ocia priuatæ dulcia pacis amans.
Sic patriæ terræ trahimur dulcedine cuncti:
Nataliq́ damus promtiùs oſſa ſolo.

CHRISTOPHORVS III. COGNO-
minatus Bauarus. Epigr. CV.

Chriſtophorus Bauaræ clarißima gloria terræ,
Pectore diuino ſuſpiciendus adeſt.

Ciuiles pepulit strepitus, vulgiq; furorem,
Vinnilijs quà se Iutia pandit agris.
Tùm demùm reliquam vitam sine lite peregit,
Daniaco dicens iura colenda throno.
O benè felicem posito qui marte feroci,
Dulcia diuinæ munera pacis amat.

CHRISTIERNVS COGNOMENTO Oldenburgius. Epigr. CVI.

Qui trahit à Christi specioso germine nomen,
Sidere formoso clarior, ecce, nitet.
Aggressus vario rigidos certamine Suecos,
Extorsit tandem debita sceptra sibi.
Deìndè rebellantes bello petiturus eosdem,
Plurima damna tulit, plurima damna dedit.
Illius auspicijs Academia Danica cepit,
Hafnia quà fulget mœnibus alta suis.

IOHANNES CHRISTIANI FIL. Epigr. CVII.

Fudit Iohannes hostes terraq; mariq;,
Illorumq; potens debilitauit opes,
Edocuit Sueones Danorum viribus actos
Deposito fastu Iura, Deumq;, sequi.
Marte Lubecanam valido compescuit iram:
Protexitq; pia patria regna manu.

Ditma-

Ditmarijs autem redijt pulsatus ab oris:
O Sors, quàm tu non semper amica venis.

CHRISTIERNVS II. IOHANnis Fil. Epigr. CVIII.

A Christo tenuit qui nomen grande Secundus,
In rigidos Suecos arma corusca tulit.
Aduersus satrapas stetit acrem pronus in iram:
Sed miseræ plebi mitior ipse fuit.
Excidit è solio regni: mox carcere tentus
Fortunæ fatum pertulit omne suæ.
Quodq́ magis laudes, instructus dogmate Christi
Clausit in excelsa relligione diem.

FRIDERICVS CHRISTIERNI II. patruus. Epigr. CIX.

Imperium sumsit Fridericus Primus auitum,
Qui veterum Regum stemmate natus erat.
Hic studio Martis præponens munia pacis,
Legibus ornauit patria Regna pijs.
Tempore sed belli fuit ingeniosus in armis:
Floruit & forti strenuus vsq; manu.
Huius adhuc nati, Iohannes dux & Adolphus,
Holsatiæ terræ splendida frena tenent.

CHRISTIANVS III. FRIDERICI Fil. virtutis nomine appellatus Danorum Augustus. Epigr. CX.

Tertius à Christi qui duxit nomine nomen,
Hostibus eiectis patria sceptra tulit.
Clara statuta dedit, decretaq; fulgida sanxit,
Et niueum pacis condecorauit opus.
Illius, en, cura quæ Biblia sancta vocantur
Iam translata sua Dania voce legit.
Nobilitate sacros ornans lauroq; Poëtas,
Augustus nostri temporis alter erat.

FRIDERICVS II. CHRISTIANI III. Filius. Epigr. CXI.

Tu quoq; nomen habes clarum, Friderice Secunde:
Nec titulos tollent sæcula longa tuos.
Ditmaricam gentem superasti fortibus armis:
Nunc maiora tuo fulmine regna quatis.
Templa, scholas, vrbes, arces, pelagusq; tueris:
Doctrina & pietas te dominante vigent.
Cùm sociam vitæ Christus tibi maximus addet,
Lætitia insurget tunc mea Musa noua.

VATICINIVM DE FVTVRIS DANIÆ Regibus. Epigr. CXII.

Regibus hunc Danis præsto Sadolinus honorem,
Quos decoro titulo, carmine, flore, choro.
Pauci alij surgent, ætas quia maxima lapsa:
Id, quod ad huc superest, perbreue tempus erit.
Decrepitus mundus supremum vergit in actum:
Mox rapidas turbas finiet vna dies.
Perpetua Christus Dominus regnabit in aula:
Felix, ætherea quem reget ille manu.

OPVSCVLI SVI DE DANORVM *Regibus conclusio. Epigr. CXIII.*

Hæc sacra sunt Regi, quo non est æquior alter:
Hæc sacra sunt doctis, nobilibusq; viris.
Omnibus his cordi Virtus, & pulcra vetustas:
Omnibus his Vatum carmina culta placent.
Nil igitur Cynicæ curo fera verbera linguæ:
Nil parasitorum lubrica verba moror.
Carcere mortali cùm sidera, demtus, adibo:
Nomen honorabit Dania cara meum.

IEHOVÆ GENTIVM SERVAtori Victoria.



REGVM DANORVM

ILLVSTRATA PER IOHANNEM Georgium Sadolinum Vibergium.



POTENTISSIMIS Danorum Regibus illustrißima insignia applicantur, per quæ non tantùm nationes, vt vulgus exististimat, Imperio Danico aut sociatæ, aut subiectæ, dinumerantur: verùm etiam ipsi Reges magnatesq; & clientes de Virtutibus, generoso sanguine non indignis, admonentur. De tàm præclaris imaginibus, inexercitatis difficile est philosophari: nihilominus qui rerum naturam mediocri studio intuetur, hic per gratiam diuinam adiutus scopum propemodum potest attingere. De magnis itaq; rebus, breuiter dicam. Tua interim Regia Maiestas, inclyte Rex FRIDERICE, mihi faueat obsecro: nec vos nobiles & eruditi viri, animos vestros auertite, quin potiùs quæ à me proferentur, ea candidis mentibus perpendite, sapienterq; diiudicate, & feliciter valete.

CRVX DIVINA, candenti colore suspicienda, qua clypeorum Danicorum ordines iucunda serie coniunguntur, monet & Regem & subditos, vt potiùs I.

tiùs diuinæ protectioni, quàm humanis præsidijs confidant. Teste siquidem scriptura: Nisi Dominus ædificauerit domum, vanè laborant qui ædificant eam. Nisi etiam Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilant qui eam custodiunt. Hæc doctrina vt manifestior fiat, ipsam Regis Dauidis citharam assumamus, ad Latinos modos per nos attemperatam:

Ni Deus ille summus
Te iuuet nutu placido, te pius & gubernet:
Quid tibi cura mordax?
Quid tuis prosunt studijs anxiferi labores?
Ni Deus vrbis altos
Cœlica prudens validæ muniat arte muros:
Quàm temerè laborat,
Nocte qui cæca vigilans mœnia celsa seruat.
Nil iuuat ante claræ
Lucis exortum riguo soluere te sopore:
Serus & ad quietem
Fessa tu frustrà tacitam condere membra quæris:
Noxia vita demùm
Ducitur, si non Dominus te foueat, regatq́.
Nam Deus omne præstat
Commodum iustis, & eos ditat, & ornat vltrò.
Cœlitùs ipse donat
Filios, casti thalami pignora gratiosa:

Præ-

Præmia qui bonorum
Sunt virûm, merces ſimul & coniugij pudici:
Qui velut & ſagittæ
In manu culti reſident indomita parentis.
Integer ille, tantis
Cuius appenſa eſt humeris plena pharetra telis.
Victor enim refulgens
Exeret ſeſe: reprobos & rigidus retundet:
Nec pudefactus vnquàm
Terga monſtrabit, tumido Marte furente faſtu.

Hæc Dauides, Propheta Dei, & Rex Iſraëlitarum, diuino ſpiritu plenus, nobis cognoſcenda propoſuit. Itaq; diuinæ maieſtatis præſentiam ad Politias & Oeconomias conſeruandas, prorſus neceſſariam eſſe, mundani Reges, & ſubditi omnes, iudicabunt.

TRES CORONATI LEONES, certa acie collocati, Virtutem, autoritatem, & felicitatem Regum, in ſcientia rei militaris, iucundiſſima imagine exhibent: quibus dotibus accedant comites, Innocentia, temperantia, humanitas, aliaq; animi dona, quæ per cordium humanorum typos deſignantur. De quibus Principum egregijs conditionibus, variæ extant Poëtarum & Philoſophorum conciones & illuſtria teſtimonia. II.

III. LEO ROBVSTISSIMVS REGALI DIADEMATE PRÆCELLENS hiantiq; rictu terribilis, bipenni etiam acutißima communitus, principis animosi in bello præclarum robur ostendit: nam quemadmodum Iusticiæ bonitate pacis officia sunt exercenda, sic viribus infractis belli artes sunt custodiendæ. Ex quo & rectè Claudianus Poëta:

> Qui stabilem seruāt Augustis fratribus orbem:
> Iusticia pacem, viribus arma regunt.

IIII. LEO MANSVETIOR HVMANA SIBI CORDA PLACIDE SVBIECTA, BENIGNO INTVITV ASPICIENS, arguit Regum decus eße, animis hominum se decenter insinuare, operamq; dare oportere, vt oculis etiam subditorum se prudenter commendent: omnes enim vitam gubernatorum studiosa diligentia imitantur: & si quid in ipsorum moribus turpe viderint, dicto citiùs, aut ab eis abalienati auertuntur, aut illorum labe infecti corrumpuntur. Adeò magna res est vt rectè iudicauit M. CICERO, personam in Republica tueri principis. Cùm autem Imperia, armorum rigore parta, non nisi honestę opinionis titulo retineantur, Regibus valdè vtile est ad regna sua stabilienda, Nobilium, doctorum, militum, ciuium, aliorumq; ordinum beneuolentiam, æqua recti animi moderatione sibi conciliare. Et

certum

certum eſt quod ait Seneca in Octauia: Principem fide melius, quàm ferro muniri. Qui verò crudelitate potiùs, quàm animi manſuetudine, delectantur principes: illi raròfelicem vitæ exitum ſortientur. Quis enim neſcit dictum Iuuenalis?

Ad generum Cereris ſine cæde, & vulnere, pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Piorum igitur ſubditorum officium eſt, ardentibus Votis à Deo opt: max: Regibus ſapientiam, Virtutes, & felicitatem, exoptare, cùm conſtet, ſine ipſius auxilo nihil rectè geri aut adminiſtrari. Nam & Plato: De legibus, apertè fatetur, ibi non eſſe malorum & ærumnarum effugium, vbi non Deus, ſed mortalis aliquisregit: Quod dictum cum multis ſcripturæ diuinæ ſententijs congruit: Et plurima exempla rem ſe ſic habere, atteſtantur.

DRACO FAVCIBVS EXPANSIS, V.
CAVDAQVE INTORTA TIMENDVS, bellicoſi principis eſt Imago. Ille cùm, teſte Plinio, veneno careat: viribus duntaxat, & arte, oportet vt ſe tueatur. Ad eundem modum, Reges & principes, belli honeſtas artes, vbi vſus poſtulat, ſequantur: fraudes verò, & impoſturas, & fœderum violationes, ac eiuſcemodi venena, velle imitari, non generoſæ Virtutis opus cenſebitur, ſed peruerſæ Naturæ ſcelus deteſtandum

ſtandum nuncupabitur. Dicuntur etiam Dracones prudenti tractatione manſueſcere, & hominum amicicia tandem gaudere: referunturq́; exempla de Indorum Regibus, & de Tiberio Imperatore, qui iſtud genus, alioqui terribile, manſuetũ reddiderint: Qua cura monentur bellatores de moderatione animi exercenda, ne ſemper in armis voluptatem ponere conſpiciantur. Poëta Græcus illud ipſum docet, vbi Regem & bonum virum eſſe vult, & robuſtum bellatorem. Verſus omnibus eſt in ore:

Ἀμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής.

VI. TRES REGIÆ CORONÆ vno in clypei ſpacio coniunctæ, Reges commonefaciunt, vt ſinceri ſint in Regnorum cuſtodienda ſocietate: nam, vt inquit Salluſtius, Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Quàm igitur benè faciant iſti, qui bonos Reges in mutuam perniciem committere non erubeſcant, norunt optimi principes, per bellorum lacrymabiles euentus aliquandò eruditi. Carolo V. Imperatori, ſcripſit Eraſmus Roterodamus, Nullum bellum, neq; tàm iuſtis de cauſſis, neq; tàm moderatè geri, quod non ingens & ſcelerum & calamitatum agmen ſecum trahat: tùm maximam malorum partem ad innoxios & indignos recidere. Sapienter & rectè illud ſcriptum ab Eraſmo aſſeruit Carolus, miles veteranus,

& idem optimus Imperator: citauitq; ex Virgilio versum, Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes: significaturus concordiam rem vtilißimam eße mortalibus. De tanta igitur Virtute, Diuides noster sua Hebræa cithara cecinit: cuius cantum nos ad Latinam harmoniam hoc modo expreßimus.

O quàm suaue, quamq; laudandum decus,
  Pectora siderea fouerier concordia.
Tàm gratiosus hic honor fertur pijs,
  Quàm solet eße liquor blandè fluentis balsami,
Per verticem, per & comam, per & togam
  Pontificis, nitidum qui fidus ante stat Deum.
Sic & virescens Hermon, & potens Sion,
  Rore nouo madidi fragrant, abundant, enitēt.
Nam quos fidelis ardor, & fraternitas
  Intemerata trahit, morumq; casta suauitas:
His inserit se, per suum Verbum, Deus:
  Hosq; sibi sociat virtute sacri flaminis.

Itáque qui tantorum bonorum particeps eße concupiscat, dißidia detestabitur, mutuamq; cum bonis amiciciam alere elaborabit.

CANDIDVS ET IMMACVLATVS AGNVS, LÆTVM VICTORIÆ SIGNVM HVMERIS ATTOLLENS, Triumphatoris VII.

Christi memorabilis est Imago. Hic in ara crucis Victima factus, abstulit à nobis peccati reatum, iram Dei, æternam maledictionem: vnde & optimè in ipsum quadrat confeßio Iohannis Baptistæ, dicentis: Ecce agnus DEI, qui tollit peccatum mundi. Idem, per gloriosam suam resurrectionem, reddidit nobis Iusticiam, gratiam & salutis hæreditatem. De qua Meßiæ Victoria extat oda Dauidis, à nobis decantata.

Omnes ô populi Deum sonate,
Et plausu decorate glorioso.
Hic celsus Dominus, tremendus, ingens,
Terram numine concutit corusco.
Hic gentes, variasq; nationes,
Nostris sub pedibus facit iacere.
Hic nos constituit sibi ministros,
Hæredesq; suæ vocauit aulæ.
Hic nos Isacidis domo creatos,
Fecit magnifica vigere laude.
Hic ascendit ad arduum sedile
Cum cantu, sonituq; buccinarum.
Regem psallite voce, & ore, clarum.
Clarum psallite voce, & ore, Regem.
Regem concelebrate gratiosum,
Quicunq; ingenio bono valetis.

Terram

Terram omnem Dominus Deus tuetur,
Qui cœli solio sacro quiescit.
Hunc iustus Tharides Deum putauit:
Hunc gentes placido fauore adorant.
Reges hic superat Deus potentes
Maiestate sua, altior refulgens.
Cunctos hic proceres, Duces & orbis
Omnes, æthereo nitore vincit.

De huius etiam agni Virtute & potentia, operæ est precium legere dulcißimum librum Beati Iohannis Theologi, quem Apocalypsin appellauit, propterea quòd in eo suauißimæ reuelationes comprehendantur. Cæterùm pulcerrimus hic Agni typus, ideo inter Regum Danorum insignia ostenditur, vt ipsi cogitent curam doctrinæ Christianæ ad se pertinere. Qui enim Vrbes, arces, naues, curiosè ædificat, nec scholas, Academias, Ecclesias, reuerenter exornat, hic Regis officium imperfectè quodammodo videtur administrare. Hanc ob caußam & potentißimus olim Danorum Rex, Diuus Christianus III. Friderici II. pater depositis armis: Canonicorum, Monachorum, & sacrificulorum nugas & deliramenta, è domo Domini profligauit. Christianasq; in Ecclesiam Cæremonias intulit: qua in re vsus est consilio & autoritate magnorum virorum, quorum nomina descripta in Ordinatione Ecclesiarum

noſtrarum eniteſcunt. Quin & Moſis, Prophetarum, & Apoſtolorum libros quos Biblia vocamus, cum omnibus ſuis partibus, in Danicam noſtram linguam, per ſapientiſsimos Viros, Theologiæ Doctores. D. Petrum Palladium, & D. Nicolaum Hemmingium, & alios, è peregrino idiomate transferri curauit: nec aliquid iuxta Regij ſui officij rationem, aut ſi mauis, dignitatem, intentatum reliquit amantiſsimus ille patriæ pater, quod ad gloriam Dei illuſtrandam cognouit pertinere. Illud demùm eſt Agnum Triumphatorem in clypeo ſuo geſtare: quod fortè alijs ridiculum videtur, quibus crudelia monſtra, in clypeis ſuis, videntur magis nobilia: ſicut & ſcripſimus quandoq; ad clariſsimum Virum, D. Iohannem Fraciſcum Ripenſem: Medicinæ Doctorem, & eundem Poëtam excellentem: nam & nos aureum agnum, qui genibus candicanti libro, in clypeo cœruleo, innititur, geſtamus: Verſus autem noſtri hunc in modum recitantur.

Hi barros, & apros, & pardos, & crocodilos,
Et quæ terra fouet monſtra cruenta, tenent.
Illi Syrenas, delphinos, atq; balænas,
Et quicquid Triton cernit amatq;, ferunt.
Nonnulli coruos, miluos, niſosq; feroces,
Quicquid & in liquidis nubibus errat, habent:

Non

Non ea ſigna traho Vates, cui Muſa perennis
Candida Caſtalijs pectora rorat aquis.
Qui niueum genibus librum premit aureus agnus,
Cœruleo in clypeo fulget imago mihi.
Quæ mea, Iohannes Franciſce, inſignia cernens,
Lene tuo ſocio pectus ineſſe puta.

Sed Regio agno Victoriæ ſignum dignè attribuitur: Rex enim ſua Maieſtate nobis eſt eminentior. Agno Sadolinæo liber honeſtè ſupponitur, cùm ex artibus liberalibus nobis fama comparetur. Si tamen noſtro clypeo illuſtriſſimus Rex D. Fridericus II. galeam Laureatam imponere quandoq; volet, quid eos morabimur qui nos ſuperbiores fore clamitabunt? Sed extra iocum. Agno nihil eſt manſuetius: nec generoſo Regis animo aliquid, poſt Deum, clementius: Muſis etiam candidis quid amabilius? Deſinant iccircò improbi, aut Iouialem, aut Phœbæum agnum, obliquè denotare.

GEMINI LEONES in campi planicie minabundi, tutelam terræ videntur deſignare: Nam ſicut hi animantium Reges robuſtiſſimi, lupos & alias noxias feras, aut in fugam agunt, aut dilacerant: ita principum Virtus eſt, eorum compeſcere crudelitatem, qui ſua voracitate, & immanitate graſſantes, miſerrimo ſub- VIII.

mo ſubditorum ſanguine ſaginari lætantur. Vbi enim potentiorum dominatur improba & ſcelerata libido, ibi ſalus inferiorum prorſus eſt deplorata. Quanquàm autem multi egregij, nobiles, & magnanimi Viri, mira beneuolentia pauperem & afflictam plebem complectantur: multi tamen ſua libertate ad aliorum oppreſsionem nefariè abutuntur. Tales voraces lupi à generoſis Leonibus ſunt in ordinem redigendi. Nam quid ſanctius, quàm vt boni principes ſint cuſtodes pacis, & defendant corpora & facultates ſubditorum ſuorum, contra eos qui iniuſta violentia, & latrocinijs, Legem pariter & gregem, delere conſtituunt. Etenim ſub bonis Regibus incolæ Regni, ritè nutriuntur, & legitimè defenduntur. Ex quo, & princeps apud Danielem depingitur tanquàm pulcerrima & fœcundiſsima arbor, quæ ramorum vmbraculo protegit animalia campi, & eadem fructibus ſuis paſcit & ſuſtentat. Cùm autem ab omnibus bonis nobilibus in Daniæ Regno egregius ille liber, De officio Magiſtratuum ex varijs diuinorũ voluminũ locis concinnatus à clariſsimo Viro, concionatore Regio, D. M. Nicolao Coldingio, cui cognomentũ à Victoria rectè tribuitur: & aliorum quoq; Doctorum ſcripta de eadem materia, non ſint incognita Virtutum ſtudioſis: plura exempla, quæ ad

hunc ſcopum faciunt, quilibet propria induſtria inue-ſtigabit.

PISCIS CORONATVS, *Imperium æquoris inſinuat, vnde indigenæ, & vicini populi, & hoſpites boni, piſcatura felici, per gratiam diuinam, euadunt abundantiores. Piratæ igitur & nebulones, qui tanta ſubditorum commoda impedire conabuntur, à bonis Regibus debent coërceri. Neptunum veteres maris Dominum conſtituerunt, deſignaturi hoc etiam regnum, non ſine diuino ſubſidio poßideri. Hinc dignitas Nauarcharum dimanauit, quos Admeraldos Dani pariter, & Germani, & non nullæ aliæ gentes, vocare conſueuerunt. Et Saxo Grammaticus autor eſt, Helgonem Daniæ Regem diuiſo, cum fratre, regno, maris poßeßionem ſortitum fuiße: & aliquot etiam naualia prælia, maritimis copijs inſtructum, geßiſſe: Regniq; decus hoc præclarißimo ſtudio pulcerrimè adauxiße. Quod exemplum etiam nunc noſtri Nauarchæ auſpicio illuſtrißimi Regis, Friderici II. imitantur. Quapropter & piſcis coronatus inter inſignia Regum Danorum meritò dinumeratur.* IX.

TRIA VRTICÆ FOLIA, TOTIDEM INTERIECTIS CLAVIS DIVISA, *principes ipſos monent, vt prauos cordis* X.

affe-

affectus, & vrentes pectoris flammas, per ſapientis animæ liberas potentias, cohibeant. Maius quippè & nobilius opus eſt, ſeſe vincere, quàm alios debellare, ſicut inquit Horatius:

Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterq; Pœnus
Seruiat vni.

Nec fortè à ſcopo aberrauerit, qui Vrticæ folia clauis ſuffixa, obtrectatorum & calumniatorum repreßionem ſignificare contenderit: Regum ſiquidem officium eſt, ſuo ſtudio & induſtria, eos refellere & caſtigare, qui honeſtos bonorum labores petulanter conuellere conantur. Vnde eleganter Georgius Sabinus, Poëtam quendam improbum & mordacem, non Lauro, ſed vrtica, à Cæſare coronandum exiſtimauit. Sic & adulatores & obtrectatores, quia æquè ſuis venenis nocent, nō aureis catenis, ſed ferreis vinculis dignos, aliquis alius pronunciaret: de quibus extat vtilißima commonefactio in hiſtoria Iohannis Regis, quæ potentißimo & ſapientißimo Regi noſtro, D. FRIDERICO II. ab autore eſt dedicata.

XI. CYGNVS CANDORE NOTABILIS, REGIOQVE DIADEMATE

CIRCA COLLVM INCINCTVS symbolum est Poëtarum, sicut in Emblemat: Andreas Alciatus monet: qui cùm carminibus suis Viros principes ornârint, posteritatiq; commendârint, ab eis vicißim desiderant amari & honorari. Reges enim antiqui, sapientes & boni, non modò eos, qui strenuam in bello operam nauârunt, sicuti quidam aulici existimant, sed etiam qui ingenio excellenti illustres, res principum & nationum scriptis ornârunt, lauro & auro, & honore Equestri dignos iudicârunt. Nam vt alij motus heroici, quibus virtutes excellentes exuscitantur, sunt singularia dona Dei in Natura principum: ita vis ingenij præclara ad eruditè scribendum, Dei mirandum est opus, & pulcerrimum Naturæ humanæ ornamentum. Quod vt Regibus Daniæ notum eße consideremus, olorem diademate ornatum inter insignia sua solent gestare, de quo tale aliquandò Epigramma in lucem edidimus.

Eximium decorant Regem sacra carmina Vatum:
Vatibus Aonijs Rex bonus ipse fauet.
Nomina dant Vates: laurum Rex donat, & aurũ.
Sic Rex, sic Vates munera digna ferunt.
Edocet hoc nitido vinctus diademate Cygnus,
Danorum Regi qui benè iunctus adest·

Cùm verò honoribus artes alantur, eademq; si spernantur,

nantur, elanguescant: quibus deletis reuerti solet Barbaries offuscans nomina Regum, & magnorum Virorum: decet vt qui clari esse voluerint, & à posteritate etiam laudari exoptauerint, hi pietati & Virtuti operam dent, virosq; doctos & sapientes, Musarumq; cantibus præcellentes, beneficentia & munificentia prosequantur. Nec vlla est via faciliùs perueniendi ad famæ æternitatem, quàm si eruditione illustres homines tibi studeas conciliare. Itaq; Scipio in medijs belli apparatibus, teste Pontano, bonarum artium studia non prætermittebat: & partis Victorijs cum eruditis frequenter versabatur. Iulius Cæsar liberalium artium professores, vt scribit Suetonius, ciuitate donabat, vt libentiùs Vrbem incolerent. His accedunt Imperatores, Vespasianus, Adrianus, Carolus Magnus, Carolus Crassus, Sigismundus, Carolus V. & alij doctorum hominum amantissimi principes, Et Diuus Christianus III. literarum tanto amore flagrabat, vt pluris fecerit librorum, quàm auri sibi thesaurum comparare: quod ipsum de Gordiano Imperatore, etiam referunt. Et ne viris solùm hanc Virtutē propriam esse putes, de Domina ELISABETHA Regina Angliæ, HENRICI VIII. filia ex Domina ANNA BOLONIA Regina, à fidē dignissimis cognouimus, eam vt linguarum literarumq; peritissimam, ita ab ea doctissimos ho-

mines plurimùm honorari. Quod ornamentum gratulor florentiſsimo Anglorum Regno: oroq́ Deum, vt in ea quoq́ gente Euangelij doctrinam, & humanitatis ſtudia, ſinat propagari. Nam alioqui nimis multi ſunt populi, quibus odio ſunt artes bonæ, parumq́ curant Cygnos Regio diademate ornatos, intueri. Sed qui ſapientiores exiſtunt, donis DEI grati fruuntur, & famam ſuam ſtudio eruditorum inclareſcere lætantur. Quid? quòd & à Cygnis exemplum capiunt non modò viuendi, ſed & ſuauiter moriendi: quia et ipſi Cygni caſtiſsimè viuunt: ac eſu pariter, & mirando vſu vrticæ, Venereas libidines extenuant: & imminente morte, dulciſsimo murmure læticiam ſuã teſtantur, Nec impedit quòd C. Plinius in Naturali hiſtoria, illud quod de flebili Olorum, ſub vitæ finẽ, cantu referatur, falſum, aliquot experimentis, arbitretur: cùm ipſius dubitatio non euertat multitudinis ſententiam contraria experimenta afferentis. De Cygnæa cantione, Poëtæ plurima prodiderunt, quia auis ſacra eſt Apolloni & Veneri, nec opus eſt cauſsas recenſere.

BINÆ TRABES æqua proportione ad XII.
ſuas metas deductæ, Legum diuinarum & humanarum æquitatem rectitudinemq́ denotant. Magis tamen neceſsaria eſt in Regno pulcerrima legum harmonia, quàm in domo legitima trabium contignatio. Danda

eſt igitur opera Regibus, vt & ipſi rectè iudicent, & cognoſcendis cauſsis, viros mente integros, & iudicio incorruptos, præficiant. Etenim dici non poteſt quàm varijs modis oppugnetur Iuſticia, cùm inter veras legum metas impetuoſus Iudicum furor ſeſe neſciat cohibere. Multi etiam, muneribus corrupti, bonas leges proterunt, & iniquas ſententias pronunciant. Neq; enim ſine cauſsa dictum eſt à Petronio Poëta.

Quid faciant leges, vbi ſola pecunia regnat?
Aut vbi paupertas vincere nulla poteſt?

Verùm contra tales Iuſticiæ violatores extat diuina comminatio: Væ illis qui ſcribunt decreta iniqua, & qui iubent cumulare miſeriam: qui ſcilicet, arcent pauperes à iudicio, & violant cauſsas afflictorum, viduas diſpoliant, & pupillos deprædantur. Cæterùm pij principes iniuſticiam deteſtantur, ſapienterq; omnes ſuas actiones inſtituunt, vt Deo pariter ſint honori, & hominibus vtilitati. Porrò de legum reuerentia, quæ vel ex natura hominis, vel ex vniuerſo, vel ex ipſo Deo deſumuntur, multi docuerunt. Et qui artem Iuris in regno noſtro, noſtra hac tempeſtate, tradunt: qualis eſt D. Albertus Cnopperus I. V. Doctor, & alij viri excellentes: earundem vſum diſertè demonſtrant. Quorum conſilium qui ſequuntur, Danicas noſtras Leges, quæ Valdmaro Regi aſcribuntur, optimè intelligunt:

cùm

cùm alij, qui fontes æquitatis negligunt, rabulæ & caußidici, inanem duntaxat scientiam, ne dicam perniciosam præsumtionem, videntur ostentare. Sed hoc malum in imperitis præfectis, à nobis nequaquàm potest emendari. Reges hoc facere poßunt, quibus autoritas est malos & ignauos remouendi, bonosq́ & prudentes constituendi: & vt hoc æquitatis officium præstent, pulcerrimæ trabes, iusta mensura ad legitimas suas metas protractæ, insinuant.

CRVCIS DOMINICÆ SIGNACVLVM XIII. monet, Regum pietatem eße Dei filio se submittere, & contra hostes potiùs Ecclesiæ Christianæ strenuè dimicare, quàm Fidei rectæ aßertores iniustis armis molestare. Atq; vtinam in Turcos, Saracenos, Ethnicos, monstrum Babilonicum, conspirarent boni principes, nec se inuicem mutua laniena conficerent. Neq; tamen legitimum bellum reprehendimus, quod suscipit magistratus aduersus hostes contumaces, qui alioqui nulla pietate, nullo honesto fœdere, volunt detineri. Talis enim castigatio, malorumq́ repreßio, iure Naturæ & diuino conceditur: nec exempla heroica fortium Virorum refragantur. Et placet mihi studium Saxonis Grammatici, qui cùm historiam gentis nostræ elegantißimè condiderit, grauißimas orationes, quibus veteres Dani se mutuò ad bellicam virtutem excitârint,

etiam descripserit. Versus quoq; ipsius plurimum roboris habent. Quid enim magis militare?

Quisquis amiciciam Regis colit, arma capescat:
Pensandis animis belli promtißima laus est.
Ergo Viris timidum nihil, aut leue, fortibus insit.
Destituatq; animos armis ceßura Voluptas.
In precio iam fama manet: laudis sibi quisq;
Arbiter eße potest, propriaq; nitescere dextra.
Instructum luxu nihil aßit: plena rigoris
Omnia præsentem discant euoluere cladem,
Non debet laudis titulos, aut præmia captans
Ignauo torpere metu: sed fortibus ire
Obuius & gelidum non expallescere ferrum.

Et paulò pòst idem autor, hæc ad hunc modum subijcit:

Arripiat digitis pugnacibus arma satelles
Inijciens dextram capulo, clypeumq; retentans.
Inq; hostes ruat, & nullos expalleat ictus.
Nemo se retro feriendum præbeat hosti:
Nemo enses tergo excipiat. pugnatia semper
Pectora vulneribus pateant. certamina prima
Fronte gerunt aquilæ: & rapidis se rictib⁹ vrgent
Anteriore loco. species vos alitis æquet
Aduerso nullam metuentis corpore plagam.

His & alijs egregijs exhortationibus, adeò incitati sunt ad Virtutem veteres Dani, vt pro Rege suo, &

pro

pro Dania communi patria, mortem fortiter oppetere non dubitarent. Quorum exemplum imitari debent posteri, qui dedecus & infamiam volunt effugere. Turpißima siquidem res est militibus, Regem & ducem suum tempore belli deserere: matres, coniuges, virgines, filias, hosti contaminandas, ac trucidandas, relinquere: Templa, scholas, vrbes, oppida, pagos, fundos, & familiam, inimicorum crudelitati exponere: quæ omnia tùm demùm custodientur, cùm fidem Regi & duci tuo, datam, inuiolabili pacto seruabis, aduersarijsq́ crudelibus te heroico animi impetu oppones: nec te à sacrosancto diuinæ crucis signaculo, hoc est, à Christi Domini consortio, alienum exhibebis. De hac igitur Virtute, crucis Dominicæ signaculum, inter insignia Regum Danorum depictum, nos commonefacit.

MILES CATAPHRACTVS, Caballo ge- XIIII.
neroso se decenter attollens, & idem strictum ensem, quasi cuncta obstacula valido ictu dißecturus, ostentans: Virtutes Regias, quas M. T. Cicero Imperatorias appellat, videlicet laborē in negotijs, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, pulcra imagine patefacit. Non enim decet Regem eße Sardanapalum, hoc est, mollem & effœminatum: sed Equitem cataphractum, id est, qui fortitudine animi generosus, & robore corporis excellens, ac ar-

tibus

tibus bellicis conspicuus, subditos suos ab hostili insultu norit defendere. Quæ Virtutes in multis Regibus apparuerunt: & hoc quoq; nostro tempore in D. FRIDERICO II. Rege enitescunt: qui cùm aliquot victorijs sit priùs condecoratus, & ad huc auxilium à Deo, REGE OPT. MAX. speret: quid obstat quo minùs hanc Dauidis odam, ad harmonias testudineas à nobis traductam, pro Regia ipsius Maiestate, idq; cum Ecclesia Dei, concinamus.

Sollicitæ quandò tua cingent pectora curæ,
Ac dura sors cùm te premet:
Aure tuam vocem facili Deus hauriat, oro:
Et te sua tegat manu.
Numine qui celso regit astra, solumq; fretumq;,
Opem tibi ferat suam:
Præsidiumq; lubens præstet de monte Sione,
Promatq; digna munera.
Suscipiat promtus tua dona: nec improbet abs te
Aris locatam victimam.
Det tibi quod gratū est: tribuat quodcūq; requiris:
Et cepta fortunet tua.
Te florente statu recto gaudebimus omnes:
Deoq; agemus gratias.
Irrita non fient tua candida vota, nec vnquàm
Vanæ preces erunt tuæ.

Mens

Mens etenim manifeſta Dei: nam blandus adèſſe
Hic Regibus ſolet pijs.
Aures hic adhibet clamantibus: hicq́ rogantes
Sua iuuat potentia.
Curribus inſurgunt iſti, rapidisq́ caballis:
Nos nitimur ſummo Deo.
In Barathrum uaſtum feruens furor incitat ipſos:
En, Rege nos ſtamus Deo.
Ergò Deus, noſtrum deìnceps defendito Regem:
Eiusq́ conatum iuua.
Rex verò adiutus, Dominum veneretur olympi:
Et ſubditos curet ſuos.

Neq́ moleſtum erit Epinicion illud addere: quod ex eodem Dauide Rege deſumtum, ad noſtros numeros, in honorem Dei applicuimus XIII. Cal. Nouemb. Anni Dn. M.D.LXV. pro illuſtri illa victoria, quam eodem die eiuſdem anni, Rex noſter FRIDERICVS II. in Hallandia ad Falchenburgum, contra Suecos obtinuit. Cuius pugnæ hiſtoriam clariſſimus Vir C. Eraſmus Michaëlius Lætus, Theologiæ Doctor, & Poëta nobilis, patria lingua artificioſè compoſuit. Ceterùm noſtra ex Dauide cantio, quam & deinceps, in ſimili Fortunæ euentu, poſteri noſtri ad Deum ſonabunt, hac ratione inter alios Pſalmos, à nobis expoſitos, decantatur.

Rex tuo leuatus,
O Deus, fauore,
Gaudium capeſcet,
Teq; perſonabit.
Concupita cordis
Cuncta ei dediſti:
Vlla res nec illi eſt
Denegata per te.
Spontè largiendo,
Tu bonus niteſcis:
Te volente, Rex fert
Auream coronam.
Si dies requirat
Pauculos per annos
Protrahi: iubebis
Viuat vſq; & vſq;.
Te ſuum fatetur
Principem, ducemq;:
Hunc viciſsim adornas
Laude ſempiterna.
Hunc tuum miniſtrum
Tu, Deus, tueris:
Gaudio ac eundem
Afficis perenni.

Spe

Spe ſua recumbens
Rex, Deo acquieſcit:
Firmiterq́ ſurgens,
Stat Dei fauore.
At manus tua hoſtes,
O Deus, retundet,
Qui fugare tentant
Te tuumq́ Regem.
Hos, velut caminum
Igneum, excitabis
Per tui rigoris
Feruidum furorem.
Cœlitùs reſultans
Ira aduret ipſos,
Flamma ceu receptas
Deuorans ariſtas.
Terra eis proterua
Commodum negabit:
Cunq́ eis maligni
Filij peribunt.
Nam nimìs rebelles
Corde, & ore, agebant:
Quid tamen valebant
Cogitata praua?

Ergò eos beatis
Sedibus repelle:
Inq́ eos ſagittas
Tortiles reflecte.
O Deus, potenter
Grande robur vrge:
Sic decus frequenter
Nos tuum canemus.

Supereſt vt de AVREA CORONA, clypeis Regum Danorum ſuperimpoſita, nunc dicamus. Hæc cùm puriſsimo metallo ſit artificioſiſsimè fabricata: ſignificat Regiam Maieſtatē tanta animæ puritate præditam eſse debere, vt, depoſito faſtu, ſe Deo Deiq́ gnato dedat: Eccleſiæ congregatione gaudeat: bonos re & conſilio adiuuet: malos autoritate ſua coërceat: æquitatem approbet: Iniquitatem repudiat: Leges rectas conſtituat: Auariciam, iudiciū mentis obcæcantē, deteſtetur. Quas Regias Virtutes nobile illud Daniæ noſtræ lumen, D. Nicolaus Hemmingius Lolandius, Theologiæ Doctor, triumq́ linguarum profeſsor, vetus meus præceptor, in pulcerrima quadam Epiſtola ad DIVVM CHRISTIANVM III. diſertè & luculenter expoſuit. Nos memoriæ cauſsa, eaſdem hoc carmine perſtrinximus, quod extat in Faſciculo noſtro Apollinari.

Regem quæ faciunt beatiorem,
Hæc tu noueris eße, Rex benigne:
Christum pectore & ore confiteri:
Læta mente domum Dei videre:
Verbis ac opibus bonos iuuare:
Et frenis cohibere contumaces:
Quod iustum est, sapienter approbare:
Iniustum fugere in Dei timore:
Æquis Legibus adiuuare Regnum:
Lucrum spernere, ceu malum venenum.
Regem quæ faciunt beatiorem
Hæc tu noueris eße, Rex benigne.

His igitur Virtutibus, quicunq; Rex enituerit, ille purißimo auro conflatam coronam meritò tuetur: quemadmodũ & facit Rex noster clementißimus, D. FRIDERICVS II. *Id quod citra adulationem à me dici, vellem vt Viri candidi, & integri cognoscerent. Etenim si adulatoriam artem (à qua semper abhorrui) sectari, in animum induxißem: non in Lolandia, exiguo rure Flintingio & prædijs Torouillanis contentus, gratißimum ocium Musis meis tribuere attentaßem, nec me in terram spacio quidem angustam, sed campis, syluis, & fontibus amœnam, detulißem: quin potiùs phaleratis nugis, & fabulosis vanitatibus turgidus, in aulas Imperatorum & principum properaßem. Sed ma-*

lui sub bono Rege tenuem libertatem, tanquam lætam poßeßiunculam, prudenter tueri: Deoq; & Ecclesiæ piè inseruire: tùm & ea, quæ honori eßent Regi, patriæ & amicis, studiosè meditari: quod animi mei propositum, ne deinceps vlla Fortunæ malicia impediat, efficiat oro Dei filius, qui me à puero, in hunc vsq; diem, benignè gubernauit. Sed ad auream coronam, quæ clypeis Regum nostrorum superaddita est, reuertamur. Hæc cùm iustas gemmarum collocationes iucundißimo nexu contineat, Reges ipsos monet, vt bonos hominum cœtus, qui in Regno sunt, caritate & beneuolentia complectantur. Rex siquidem populi corona est: gemmæ, varij hominum ordines, quorum singuli Regem suum, iuxta suas à Deo & natura sibi conceßas dotes, exornabunt. Verùm singulis gemmis propria sua est vis, suumq; peculiare decus: sic sapphyrus, adamas, smaragdus, iaspis & alij nobilißimi lapides, colore, viribus, & honore, differunt: omnes tamen suo modo coronam, cui inseruntur exornant. Non aliter hominum multiplices in Regno distributiones, & societates, Regem suum, cuius Imperio proteguntur, debent honorare. Et cùm varijs dotibus homines sint ornati, diuersis quoq; modis Regi suo prodeße tenentur. Qui sapientia valent, consilio: qui diuitijs, facultate: qui viribus, robore: qui literis, ingenio: qui artificijs, arte: qui verò cœlestium

donorum

donorum infusione, precibus pijs & ardentibus votis ipsum adiuuabunt. Ita vtiles erunt Senatores, Nobiles, Milites, eruditi, Mechanici & alij homines, Deo & honestati dediti & consecrati: qui omnes venerando pulcerrimarum gemmarum titulo comprehenduntur. Iam quilibet cogitet, ut suis dotibus rectè vtatur, ne potiùs inutilis maßa, quàm preciosa gemma dici mereatur. Videantq; Reges venturi, vt homines bonos & vtiles, non secus ac præcellentes gemmas & vniones ament, eosq́; gratia & studio benignè, comiter, & liberaliter prosequantur. Id enim monet aurea corona tanto artificio decorata, quæ clypeis Regum Danorum superposita, decenti gemmarum nitore resplendescit. Non aliter sibi constant hæc sacra. Qui, nationes Imperio Danico vel sociatas, vel subiectas, quæ nobiscum his insignibus vtuntur, cognoscere volet: ille historias legat, aut solummodo eos interroget, qui harum rerum peritiam se habere gloriantur: me siquidem in illas admonitiones dilabi, ratio instituta non permittit.

Hanc igitur in Regum Danorum Insignia Exegesin, simpliciter Virtutis amore, deliniaui: non eò quòd mea somnia optima putârim, aut alios meliora inuenta afferre non poße existimârim, cùm multi sint in florentißimo Daniæ Regno, viri ingenio, iudicio & industria, me longè excellentiores: sed vt hoc studio quali-

cunq; amicis quibusdam bonis, & nobilibus, quos intellexeram maiestate & titulis Regum nostrorum lætari, Fortunaq; gentis Danicæ gloriosa demulceri, ac Virtutum quoq; desiderio detineri, gratificarer. Proindè ea sectatus sum, quæ cum re ipsa cognoui congruere, quanquàm multa, quæ annotari possent præterij, & quidem spontè, ne opus immensum nasceretur. Est ergò & alijs relictus locus & dicendi & scribendi, qui magis conuenientia in posterum erunt edocturi. Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ex intimo cordis affectu, oro, vt Ecclesiam suam in his Regnis colligat: in agnitione nominis sui retineat: Regem nostrum atq; Regni Senatum, & militares ordines, tùm & literatorum frequentiam, gregemq; ciuilem, nec non plebeiorum agmina, defendat: Angelos verò suos sanctos iusta acie collocet, qui hostiles dolos, & omnia pericula corporum & animarum, à nobis, & ab omnibus pijs auertãt: Cui cum Patre, & cum Spiritu sancto, vni, soli, æterno, misericordi Deo, sit honor, potentia & victoria in sæcula sempiterna,

AMEN.

FINIS.



HAFNIÆ,

Excudebat Laurentius Benedictus.

1569.

CVM GRATIA ET PRIVILE-gio Regiæ Maiestatis.



